DE ANTIQUA
PICENTUM CIVITATE
CUPRA MONTANA.

DE ANTIQUA PICENTUM CIVITATE CUPRA MONTANA

MAURI SARTII

MONACHI CAMALDULENSIS

EPISTOLA

Ad V. C.

JOANNEM FELICEM GARATONUM

IN ROMANA CURIA ADVOCATUM

CAROLI S. R. E. CARDINALIS SACRIPANTES A COGNITIONIBUS.

Editio altera recognita, & aucta.









PISAURI 1748. e Typographia Nicolai Gavelli.

Superiorum Permissu.





LECTORI CANDIDO.

Habes, *Candide Lector, novam editionem epistolæ Mauri Sartii Monachi Camaldulensis* De antiqua Picentum Civitate Cupra Montana, *quam auctor ipse secundis curis ornavit, & auxit. Est aliquid etiam ab eo immutatum, & correctum ex his, quæ vel non satis in priore editione perpensa fuerant, vel nimis inemendata e prælo prodierant. Prima Cupræ Montanæ indicia prope oppidum Massatium agri Æsini observavit P. Sartius sub finem anni M. DCC. XLVI., statimque ea de re scripsit ad Garatonum suum, amicosque præterea multos, quibus & exempla misit antiquæ inscriptionis apud Ferrantios in eo oppido repertæ, in qua* Pueri & Puellæ Alimentarii Cuprenses Montani *occurrunt. Sed tamen longiusculam hanc epistolam nec ante Junium mensem anni superioris M. DCC. XLVII. absolvere potuit, nec ante eum mensem, qui consecutus est, Venetias mittere, Calogerianæ collectioni inserendam. Quamquam casu factum est, ut, cum epistola hæc ad Cl. P. Calogerà perlata est, suæ illius Collectionis tomus XXXVIII. sub prælo esset, tomus vero XXXIX. nimis diu expectandus fuerit, nec*

ante kal. Novembris prima hujus epistolæ exemplaria seorsim ab eo tomo edita, cui tandem inserta est, in publicum exire potuerint. In ea editione dies erat adscriptus kal. Jul. anni superioris M. DCC. XLVII., quo die scilicet ex auctoris manibus emissa fuit; sed eum diem in hac editione abjicere oportuit, ne turpis admitteretur anachronismus. Hic porro unam & item alteram Jani Planci V. Cl. sententiam ex ejus epistola, quam habent Ephemerides Literariæ Florentinæ ad diem kal. Dec. anni superioris, ad trutinam revocari contigit, sed adeo modeste, & cum tanta honoris significatione, ut vir doctissimus, idemque humanissimus non id videatur iniquo animo laturus. Nam quod Literariæ Ephemerides Venetæ ad diem X. Februarii hujusce anni M. DCC. XLVIII. eundem V. Cl., & J. A. Vitalium, Planci amicum, propter vulgatam ab iis inscriptionem Massatiensem, in qua Cupræ Montanæ mentio est, sub nescio quibus verborum ambagibus notant, & carpunt; id vero se inconsulto factum esse sibique ingratissimum accidisse idem P. Sartius confirmat, qui & Planci doctrinam suspicit, & utriusque amicitiam plurimi facit.



JO-

JOANNI FELICI GARATONO

In Romana Curia Advocato

CAROLI S. R. E. CARDINALIS SACRIPANTES

A COGNITIONIBUS

MAURUS SARTIUS

M. CAMALDULENSIS

S. P. D.

I.



IX dum Maſſatium veneram, cum accepi literas abs te ſane quam amantiſſime ſcriptas, in quibus cum multa de valetudine mea, cujus vel tuendæ, vel reſtituendæ cauſa ſeceſſum hunc Maſſatienſem optaveram, multa de tota ſtudiorum meorum ratione, quam meo hoc repentino conſilio turbatam, ac plane concuſſam arbitrabaris; tum illud poſtulabas ut ſcriberem ad te, ecquid rei ſit Maſſatium hoc, cujus ne nomen quidem fortaſſe ante id temporis audiveras, quæ natura loci, qui ſitus, & numqua ſint hujus loci decora atque ornamenta. Quibus ego ſtatim re-

scripsi & esse me hic libentissime, ubi, quantum ex facili conjectura poteram intelligere, meliore in dies valetudine, quam umquam alibi essem futurus, & me jam tum omnem expuisse animi & corporis molestiam, quam Ravennæ, sub cœlo mihi non admodum amico, ante contraxeram. De studiis vero literarum quod ad te scriberem nihil habebam, ac difficile erat quidquam ea de re constituere. Cum enim multa essent, quæ me hortabantur ne quid potius literis in hoc meo secessu habere vellem; tum dehortabantur multa, ac plane deterrebant, illudque inprimis quod, & eo veneram, ubi neque ab optimis libris, neque a doctis hominibus satis præsidii ad eam rem essem habiturus: & jam longo experimento didiceram valetudini meæ cum studiis literarum convenire non posse. Vix itaque fore credo, ut majorem operam literis sim daturus quam quanta necesse est, ne bellum musis indixisse videar. Sed heus tu, videsis ne me beatum hic futurum putes, neque enim satis molesta occupatio deerit juventutis Massatiensis publice in Philosophia instituendæ, a quo ego sane multum abhorreo.

II.

RESTABAT extremum illud ut dicerem de hujus loci, situ & natura, ejusque quandam veluti hypotyposim concinnarem. Atque in eo etiam facile tibi per me satisfieri potuisset, si id unum mihi proposuissem, ut quæ omnium oculis subjecta, & omnium sermone contrita sunt, ea ad te scriberem, præterea nihil. Quis enim est qui, quamvis

vis subito, si quidem hunc locum semel viderit, non copiosissime possit dicere de bonitate agri circumjacentis, de copia, & excellentia rerum omnium, quibus humana vita sustentatur, & alitur? Unum est, quod incommodum videri possit, loci situs præaltus, atque editissimus. Sed prætérquamquod difficilem admodum accessum non habet, viis nimirum per monticulos alios aliis altiores sensim assurgentibus, propter eam causam tanta est hujus cœli salubritas, nihil ut supra esse possit. Hinc optima Massatiensium ingenia: hinc firmitas, atque is corporum habitus, qui cum in ceteris fere Picentibus, tum vero hic maxime laudari solet: hinc denique cultus quidam, atque urbanitas, paulo fortasse major quam pro conditione loci; tanta certe, quantam in ejusmodi oppidulis plerumque frustra requirimus. Quam autem opportuno, atque ad aspectum præclaro loco Massatium sit, haud satis verbis dici posse existimo. Totus enim in conspectu est, quantum patet, ager Picenus iste cultissimus ab Appenino ad mare Adriaticum, si eam partem excipias, quæ est Firmum ultra, quo oculorum acies propter longinquitatem vix pertingere potest, & is, quem olim Gallicum appellabant, in cujus ora maritima est Fanum Fortunæ, & Senogallia, qui ager nunc Piceno adjungi solet. Quare, & urbes toto hoc tractu vastissimo sane plures, hinc videre licet; minora vero oppida, & castra, quæ nullibi fortasse frequentius occurrunt, quam in Picentibus, fere innumera; ac præter id Adriatici maris tractum duplicem, ingentem unum, ad cujus oram

urbes

urbes ſunt Ancona , Senogallia , & Fanum Fortunæ , minorem alterum , in cujus ora eſt Lauretum ; tum perpetuum Æſis fluvii curſum , qui lato ac ſinuoſo alveo paſſibus ab hinc XVII. mil. Adriatico mari illabitur.

III.

HÆc ego ad te ſcribere poteram , amiciſſime Garatone , & ſcripſi etiam pluribus , ut intelligeres poſſe me hic ita libenter eſſe , ut , nec urbis , ſi quod in me eſſet , nec urbanitatis , quod certe in me ſemper fuit , deſiderio cruciarer . Sed neque his ego etiam contentus , & tua mihi petitio alio ſpectare videbatur . Cœpi itaque diligenter inveſtigare , adhibitis hujus loci peritioribus , numquid compertum eſſet de Maſſatii oppidi origine , & antiquitate , numquod vetus monumentum , numquid eſſet in his locis vel natura factum , vel arte , quod eſſet dignum cognitione hominum eruditorum . Sed cum alii alia dicerent , ex omnium ſermone intelligebam nihil hic eſſe , quod vel recenti memoria , vel antiqua opinione admodum illuſtre exiſtimari deberet . Unum audivi apud Ferrantios , quæ familia eſt hujus loci cumprimis conſpicua , & illuſtris , vetus monumentum aſſervari , latinam inſcriptionem in grandi lapide , cujus etiam unum , & alterum exemplum accepi , a viris , ut opinio erat , bene doctis , & harum rerum peritiſſimis , olim exſcriptum , quod erat hujuſmodi .

IMP.

IMP. CAESARI
DIVI. HADRIANI
PARTHICI. NEPOTI
DIVI NERVAE PRONE
POTI. L. AELIO. HADRI
ANO. ANTONINO. AVG
PIO. PONTIF. MAX. TRIB
POT. XII. IMP. II. COS. IIII
P. P. P. VERL. ET P. VEILAT
.... RENTORI
C. VIBIVS. ENOES. MON. PONT

Exſcriptoribus parum accuratis præter graviſſima menda, quæ in poſtremis verſibus hujus inſcriptionis nobis obtruſerant, L. AELIO pro T. AELIO verſu ſexto excidit, quod nulla ratione ſuſtineri poteſt. Eccui enim obſcurum eſt Antonino Pio Imperatori, ad quem hæc inſcriptio pertinet, Tito prænomen fuiſſe non Lucio? Sed poſtremi tres verſus hujus inſcriptionis multo etiam fœdius corrupti erant. Angelus Tacchius, Presbyter Maſſatienſis, qui primus omnium, ut opinor, hanc inſcriptionem exſcripſit *Publium Verlium* neſcio quem, & *Publium* item *Veilatium*, Patronos, ſeu Curatores oppidi Maſſatii, quibus *Cajus Vibius Enoes* honoris cauſa hunc titulum poſuerit, videre hic ſibi viſus erat, ut ex ejus ſchedis intellexeram: nihil ego niſi mera monſtra videbam. Itaque archetypum conſulendum judicavi, cujus inſpiciendi copia cum mihi facta eſſet per Franciſcum Victorium Ferrantium, virum humaniſſimum, mihique jam tum amiciſſimum, priorem ex tribus il-

lis

lis postremis versibus, in quibus tota hujus tituli sententia consistit, ita legendum esse perspexi:

P. P. PVERI. ET. PVELLAE.

Extremus autem omnium ita conscriptus esse mihi tunc quidem visus est:

CVPRIENSES. MONTANI.

Sed tandem lapide iterum ac sæpe acrius, & diligentius inspecto, CVPRENSES omnino legendum esse compertum est. Medium restabat, cujus literæ non solum exesæ & corruptæ, sed prorsus obliteratæ sunt, si hasce excipias.... ENT. RI. sed ad ejus tamen sententiam eliciendam magno adjumento erat in superiori versu legisse PVERI. ET. PVELLAE. Veniebant enim in mentem *Puellæ Alimentariæ* ab Antonino Pio honoris causa erga Faustinam uxorem suam constitutæ, ac tale aliquid de Pueris, ac Puellis istis Cuprensibus suspicabar, qua de re & cum Ferrantio, & cum aliis sum locutus, atque ut conjecturam hanc meam ratione aliqua confirmarem, Ferrantio ipsi ostendisse me memini antiquum nummum rarissimum apud Vaillantium cum epigraphe *Puellae Faustinianae*, ad quem explicandum profert Vaillantius ea Capitolini verba de Antonino Pio *Puellas Alimentarias in honorem Faustinæ Faustinianas instituit*. (*a*)

IV.

Sed fecit tandem auctoritas clarissimi Muratorii, ut me conjecturæ hujus meæ non pœniteret. Cum

(a) *Vail. Num. Imp. t. 2. pag.* 167. & 164. *edit. Paris. a.* 1692.

Cum enim ab eruditissimo viro Francisco M. Raphaellio patricio Cingulano, in hac mea librorum inopia quæsissem per literas nuncubi sciret editam esse nostram hanc inscriptionem Massatiensem, rescripsit vir humanissimus editam esse in novo inscriptionum Thesauro clarissimi Muratorii (*a*), aliquanto quidem minus corruptam, quam vulgo circumferebatur, nam & is etiam ejus inscriptionis exemplum, quale hic ego nactus eram, ante id tempus habuerat, sed mancam tamen, & non leviter vitiatam, ut quivis facile judicare potest; sic enim habent extremi versus tres apud Muratorium:

P. P. PVERI. ET. PVELLAE

...... ENT. RI

.... VIBIVS. ENOES. MON. PNT.

Versum ultimum emendare non potuit vir doctissimus, sed superiorum duorum primum quidem emendatissimum dedit, alterum conjectando supplevit, attulitque ad conjecturam suam confirmandam eadem illa Capitolini verba, quæ apud Vaillantium videram. Sed præstat Muratorium ipsum audire; post ubi enim dixit in eo versu qui ante ultimum est, legi commode posse ALIMENTARI, ita inquit: *postremæ lineæ divinando potius, quam certa ratione exscriptæ fuerunt. Et reipsa Antoninus Pius, uti scribit Capitolinus, Puellas Alimentarias in honorem Faustinæ, Faustinianas constituit, quæ videlicet ex ærario alebantur. In honorem quoque Hadriani Pueros Alimentarios constituisse credendus est.*

V.

(a) *Tom. I. Col. CCXXXVIII. n. 2.*

V.

DUbium non est igitur quin *Pueri*, & *Puellæ* ALIMENTARII hic designentur, præsertim cum & ejus vocis nonnulla vestigia supersint, nec alia vox ulla ibi commode inseri possit. Qua de re tota ut quivis facile judicare possit, nostræ hujus inscriptionis exemplum, quam diligentissime expressum, hic subjicere placuit. Sed quod Muratorius existimat hic designari Pueros Alimentarios ab Antonino Pio in Hadriani patris honorem institutos; idque hac una ratione probat, quod cum Antoninus idem Puellas Alimentarias instituerit, quæ Faustinianæ dicerentur, credendus sit in Hadriani quoque honorem Pueros Alimentarios constituisse; ego id quidem vix negare ausim propter summam viri doctissimi auctoritatem, sed tamen vereor ne satis firmum sit argumentum ex nostra inscriptione petitum. Ubi enim considero multo ante id tempus pueris & puellis, egenis parentibus natis, alimenta passim in Italiæ civitatibus, ex publico constituta fuisse, non video cur inscriptionem nostram interpretari oporteat de pueris in Hadriani honorem institutis, deque puellis ex Faustinæ nomine appellatis. Ut enim in aliis Italiæ civitatibus, ita apud Cuprenses Montanos esse poterant vel ab aliis principibus ante Antoninum Pium, vel ab ipso demum Antonino Pio constituti pueri & puellæ, quibus alimenta publice suppeditarentur. Latissime enim patebat in Italia beneficium istud optimorum principum ad liberorum educationem. Ut enim ve-

IMP CAES

DIVI HAD

FI ITI

PA CI

DIVI NERVAE

POTI AELIO

ANO ANTONI

PIO PONTIF M

POT XII IMP II

P P PVERI ET

AENT

CVPR ENSES A

Altum palm. 4. 8. Latum palm.



rissime inquit Reinesius *in alimenta puerorum ingenuorum puellarumque, annui sumptus certarum summarum facti sunt, non in urbe tantum, sed per totam Italiam in coloniis, & municipiis.* (*a*) Neque vero principum dumtaxat, sed privatorum etiam liberalitate, præclarum hoc institutum alebatur. De Plinio enim nepote manifestum est contulisse illum in alimenta puerorum, & puellarum non modicam pecuniæ summam, de se enim, ut alia ejus rei argumenta prætercam, scriptum ipse reliquit, *se pro quingentis millibus nummum, quæ in alimenta ingenuorum, ingenuarumque promiserat, agrum ex suis longe pluris actori publico mancipasse.* (*b*) Ejus pecuniæ curandæ causa erant in Italiæ civitatibus *Quæstores Alimentorum* dicti, quorum non rara mentio est in antiquis lapidibus, ubi & *Præfecti Alimentorum* quandoque occurrunt, & *Alimentorum Curatores*, & alicubi etiam *Villicum ab alimentis* legimus apud laudatum Reinesium, aliosque. (*c*)

VI.

SUnt qui Nervam eximii hujus instituti auctorem ferant. (*d*) Sed Trajani liberalitas in hoc maxime emicuit, ut Plinius & Dio, sive ejus epitomator Xiphilinus, & inscriptiones antiquæ, & nummi sane plurimi testantur. *Hæc prima*, inquit Plinius, *parvulorum civium vox aures tuas imbuit*,

(a) *Reines. in* 125. *I. &* 24. *VI. &c.*
(b) *Apud Reines. loc. cit.*, *& lap. Mediol. apud Grut.*
(c) *Reines. loc. cit. Vid. & Cl. Oliver. ad marm. Pisaur. XXXVI. Pratil. inscrip. de Jove Hort. in Opusc. Calog. t.* 28. *&c.*
(d) *P. Diac. ap. Reines. loc. cit.*

buit, quibus tu daturus alimenta hoc maximum præstitisti ne peterent. (*a*) Xiphilinus autem: *civitatibus Italiæ multa largitus est ad educationem liberorum, in quos magna beneficia contulit.* (*b*) Ex antiquis vero inscriptionibus mirificam hanc Trajani liberalitatem indicantibus, quas videre licet apud inscriptionum Collectores, principem omnino locum ea obtinet, quæ non ita pridem reperta est in agro Placentino, cujus particulas aliquot nunc tantùmmodo vidimus, integram vero, & erudito commentario illustratam expectamus a V. Cl. Ludovico Antonio Muratorio. De nummis vero antiquis eadem de causa percussis quid attinet dicere? Sunt enim notissimi, & antiquariorum manibus ubique teruntur. Ex his nonnullos protulit Mediobarbus cum ea celebri epigraphe ALIM. ITAL. S.P.Q.R. OPTIMO. PRINCIPI. quibus cum sit adscriptus IV., V., & VI. Trajani Consulatus, non solum initio principatus, quod ab auctoribus didiceramus, sed multo post etiam nova beneficia optimum principem in Pueros, & Puellas Alimentarios contulisse manifestum est: quod multo etiam magis declarat Auximanæ inscriptionis fragmentum ejusmodi:

... NERVAE. F. NERVAE
.... O. PONTIFICI. MA
.......MP. VI. COS. V
...... NIFICENTIAM. SVAM
....

(a) *In Panegyr. c.* 26.
(b) *In Trajano.*

.... SVBOLEMQ. ITALIAE
..... IT. MVNICIPIVM
.... (*a*)
....

Vides hic Trajanum non modo COS. V. dici, ſed etiam IMP. VI., qui honos ei tributus non eſt ante Tribunitiam Poteſtatem XII. hoc eſt Imperii annum XII., ut ex inſcriptione a Grutero edita obſervat Fabrettus. (*b*)

VII.

PErpetuum hoc Trajani ſtudium erga *Italiæ ſobolem*, ut in ſuperiori inſcriptione appellatur, æmulatus eſt Trajani ſucceſſor Hadrianus, ut eſt apud Spartianum. Sic enim de Hadriano: *Pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*. (*c*) Quis autem crediderit, quod Hadrianus, vel amoris, & pietatis cauſa erga civitates Italiæ, vel honoris, & religionis erga Divum Trajanum patrem feciſſet, non id egiſſe ſimilibus de cauſis Antoninum Pium, quem nemini ſuperiorum principum pietate, & liberalitate conceſſiſſe novimus? Quamquam non id conjectando ſolum aſſequimur, ſed etiam antiquis monumentis comprobatur. Ejuſmodi eſt inſcriptio perbrevis Sextini reperta a Rubenio, Gorio, & Muratorio (*d*) edita:

(a) *Ap. Fabret. Inſcript. cap.* 10. 91. *& Murator. pag.* CC*XXX.* 3. *Extat hodiedum Auximi ad Divæ Luciæ*.

(b) *De Col. Traj. pag.* 290.

(c) *In Hadriano*.

(d) *Pag.* CC*XXXVIII.* 4.

DIVO
ANTONINO
AVG. PIO
ALIMENTARI.

Cur enim pueri Alimentarii honorem hunc Antonino Pio detulerint, cum esset in Divorum numerum relatus, hoc est post mortem, nisi ut beneficiorum memoriam, quæ sibi, dum esset in vivis, contulisset, æternitati commendarent? Huc etiam facit alia inscriptio mutila apud Urbinates reperta, atque ab iisdem Rubenio, & Muratorio (*a*) vulgata:

T. AELI. HADRIANI
ANTONINI. AVG
PII. PONT. MAX
TRIB. POT. XIII
IMP. II. COS. IIII. P.P
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI

Cum Antoninus Pius *Tribunitiam Potestatem tertiamdecimam*, hic expressam, M. Aurelius, Antonini filius, quartam, vel quintam numerabat, idque in hac inscriptione præteriri non debuisset, si quidem ad M. Aurelium pertineret, ut vero propius visum est Cl. Muratorio. Notat enim *illud* FILIO *sustineri non posse, nisi inscriptionem referamus ad M. Aurelium ab Antonino adoptatum, & nondum ad imperium evectum*. Ego æque ad L. Verum referri posse crediderim, quem auctore Capitolino scimus absque alio honore, quoad vixit Antoninus Pius, in Pala-

(a) *Loc. cit.*

Palatio egiſſe, præterquamquod AVGVSTI FILIVS diceretur; cum alias M. Aurelius ad an. 147. Imperium Proconſulare, & Tribunitiam Poteſtatem acceperit, Antonino Patre Trib. Poteſtatem nonam agente. Sed quid ſi in marmore ipſo *Tribunitia Poteſtas* XIII. non legatur? Ego id multum vereor; alios enim video Inſcriptionem hanc ſine Tribunitiæ Poteſtatis numero in hunc modum protuliſſe, quemadmodum etiam ego illam a doctiſſimo, & humaniſſimo Auximanorum, & Cingulanorum Antiſtite Pompejo Compagnono acceperam:

T. AELI. HAD....
ANTONINI.....
PII. PONT. M...
TRIB. POTE....
IMP. II. COS. IIII. P.P
FILIO
PVERI. ET. PVELLAE
ALIMENTARI

Sed hæc alii viderint, ſive enim M. Aurelium, ſive L. Verum hic deſignari malis, ſatis vero ſimile videtur non alia de cauſa hoc ei monumentum a *Pueris & Puellis Alimentariis* poſitum fuiſſe, quam propter, inſigne aliquod beneficium ab Antonino Pio acceptum, ut ſcilicet in colendo Filio ſuam Patri devotionem probarent.

VIII.

CUm ergo Antoninus Pius Puellas Fauſtinianas in uxoris ſuæ honorem inſtituit, ingens erat numerus puerorum, puellarumque tota Italia, qui

ejus, & superiorum principum liberalitate alebantur. Post Antoninum Pium M. Aurelium ejus successorem legimus in honorem Faustinæ junioris uxoris suæ, post ubi a senatu obtinuisset, ut divinos honores eidem decerneret, *novas Puellas Faustinianas* de ejus nomine dictas instituisse. *Petiit a senatu*, inquit de Aurelio Capitolinus, *ut honores Faustinæ, ædemque decernerent laudata eadem.... novas Puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuæ. Divam etiam Faustinam a Senatu appellatam gratulatus est*. Alexander quoque Severus, qua fuit in matrem Juliam Mammæam pietate mirifica, & plane singulari, non puellas modo, sed etiam pueros in ejus honorem instituit, deque ejus nomine appellari voluit, ut est apud Lampridium, a quo etiam accipimus tale aliquid vel fecisse, vel quidem certe cogitasse Macrinum, ut Pueros Antoninianos, de Antonini Diadumeniani filii nomine dictos, ad Romanorum benevolentiam captandam institueret. Ut igitur Puellæ Faustinianæ a M. Aurelio honoris causa in Faustinam juniorem institutæ, & Mammæanæ Puellæ, ac Pueri, quos Alexander Severus Juliæ matri dedicavit, & Antoniniani Pueri a Macrino vel instituti, vel destinati, alii prorsus erant *a Pueris & Puellis Alimentariis* passim in civitatibus Italiæ institutis; ita inter Puellas Faustinianas ab Antonino Pio in uxoris Faustinæ honorem institutas, & eosdem *Pueros ac Puellas Alimentarios* plurimum interfuisse manifestum est: præsertim cum istiusmodi *Pueri & Puellæ Alimentarii* non alia de causa instituti fuissent, quam ut commodius, honestiusque educari possent, atque ut optimorum principum libera-

beralitatem civitates Italicæ experirentur, quemadmodum supra, Xiphilino auctore, accepimus. At Puellæ Faustinianæ in honorem Divæ Faustinæ constitutæ erant, eaque res non tantum ad Antonini liberalitatem, sed quodammodo etiam ad religionem pertinere videbatur, quod etiam de novis M. Aurelii Puellis Faustinianis dicendum est; neque enim hunc honorem alterutri Faustinæ, cum adhuc in vivis esset, uxorii principes detulerunt, sed postquam utraque fato functa, atque inter divas relata est, & templum, aliosque honores divinos habuit. Quam enim religiose Antoninus Pius Faustinæ suæ memoriam coluerit, quam tertio imperii anno (*a*) amiserat, & auctores scriptum reliquerunt, & numismata antiqua sane plurima (*b*) testantur, eo imperante percussa, in quibus & Faustinæ apotheosis, sive *Consecratio*; & *Aedes Divae Faustinae*, ejusque *Aedis Dedicatio*; & Thensæ ab elephantis ductæ cum Divæ Faustinæ imagine sub Cereris habitu; & Junonis Lectisternium Faustinæ accommodatum; & Faustinæ item imago cum insignibus *Dianae Luciferae*, aut *Matris Deum*, aliaque symbola divinitatis expressa conspiciuntur. Par studium colendæ Faustinæ Junioris in Marco Aurelio fuit, qui, & *novas Puellas Faustinianas* ejus honoris ergo instituit, *& a senatu petiit, ut honores Faustinæ ædemque decernerent*, (*c*) postquam ipsa quoque in divarum album relata fuerat.

(a) *Capitolin. In Pio.*
(b) *Vaillan. Num. Imp.*
(c) *Cap. in M. Aurel.*

IX.

QUos ergo in nostra inscriptione *Pueros*, *& Puellas Alimentarios* legimus, non video cur necesse sit de Puellis Faustinianis, deque Pueris Alimentariis in Hadriani honorem, ab Antonino constitutis cum Cl. Muratorio intelligere; præsertim cum de hisce Pueris honoris causa erga Hadrianum patrem ab Antonino institutis nullum antiqui auctoris testimonium, nullum idoneum monumentum a viro eruditissimo afferatur. Quod si revera apud nostros Cuprenses Montanos Pueri, & Puellæ ejusmodi Hadriano, & Faustinæ devoti, & dicati fuissent, ad eosque ea inscriptio pertineret, quemadmodum in nummis *Puellas Faustinianas* legimus, ita, & in ea Inscriptione ejusmodi appellationem usurpassent, quæ & Antonini beneficium, & Hadriani, ac Faustinæ memoriam declararet. Cum enim Cuprenses Montani ea Inscriptione Antonini beneficium testatum publice voluerint, non est cur ejusmodi appellatio prætermittenda fuerit, & Antonino gratissima, & Cuprensi populo supra quam dici possit honorifica. Quoniam igitur Pueri, & Puellæ Cuprenses Montani usitato & communi more *Alimentarii* dicuntur, alterutrum consequi existimo, vel ante Antoninum fuisse apud Cuprenses Montanos ingenuos Pueros & Puellas publico alimento superiorum Principum munificentia donatos, quos Antoninus novis muneribus auxerit, ut & Hadrianum erga Pueros & Puellas Alimentarios a Trajano institutos fecis-

fecisse constat; (*a*) vel Antoninum ipsum Pueris, & Puellis Cuprensibus Montanis tunc primum alimenta ex publico decrevisse; cujus beneficii memoriam nostra hac inscriptione, addita insuper vel statua, vel insigni aliquo monumento, æternitati commendarunt.

X.

EDidit nuper hanc inscriptionem V. Cl. Janus Plancus in Epistola, quam referunt Ephemerides Literariæ Florentinæ A. D. Cal. Dec. anni superioris MDCCXLVII., atque is quoque in eo versu, qui ante ultimum est, cum Cl. Muratorio vocem ALIMENTARI supplendam esse judicat, ea nimirum conjectura usus, quam a Muratorio usurpatam vidimus: quamquam aliquid præterea eidem Viro Clarissimo attribuat, quod ab ejus mente alienissimum puto. Ait enim sapienter fecisse Muratorium cum ibi ALIMENTARI restituendum esse monuit, propterea quod, Muratorio ipso fatente, Antoninus Pius in Faustinæ honorem alia Puerorum, Puellarumque Alimentariorum, quos Faustinianos dixit, collegia instituerit, quemadmodum ab Julio Capitolino accipimus. Addit V. Cl. id etiam ab Hadriano factum fuisse, ut inscriptiones, ibidem a Muratorio editæ, demonstrant, (*b*) sed neque ad Puellas Faustinianas

(a) *Spartian. loc. cit.*

(b) E saggiamente pure soggiunge (il sign. Muratori) *opinor ego ALIMENTARI restituendum esse*, giacchè si sa, come egli seguita a dire, che Antonino Pio per testimonio di Capitolino istituì in onore di Faustina sua moglie

ullo modo pertinet inscriptio nostra, ut supra demonstravimus; neque ex eo quod Antoninus Pius Puellas Faustinianas alicubi instituerit, rite colligi potest *Pueros & Puellas Alimentarios* ab eo institutos fuisse apud Cuprenses Montanos; neque Muratorius, si recte teneo, umquam dixit Pueros Faustinianos ab Antonino institutos fuisse, neque id sane dicere poterat Julii Capitolini auctoritate permotus, qui cum Puellas Faustinianas memoret, quas etiam ex nummis antiquis noscere licet, de Pueris Faustinianis omnino silet. Ac Muratorius sane parum sibi constaret, si tale aliquid dixisset, quippe qui suspicatus erat Pueros Alimentarios, qui in hac inscriptione occurrunt, in Hadriani patris honorem ab Antonino Pio fuisse institutos ob eam causam, quod pari pietate in uxorem Faustinam, Puellas Alimentarias de ejus nomine dictas instituisset. Quod autem addit Cl. Plancus Hadrianum quoque Pueris, & Puellis Alimenta decrevisse, id vero certum exploratumque est, sed antiquas inscriptiones, ejus rei testes, frustra apud Muratorium eo loco requirimus.

XI.

IDem præterea V. Cl. hosce *Pueros & Puellas Alimentarios* haud ab iis dissimiles fuisse existimat qui

altri Conservatori di fanciulli, e fanciulle alimentari, che chiamò Faustiniani; cosa, che era stata fatta anche avanti da Adriano, suo antecessore, instituendo anch' egli di questi fanciulli e fanciulle alimentari, come apparisce da altre lapidi „ portate nel medesimo luogo dal sig. Muratori. *J. Planc. in ep. cit.*

qui in noſtris orphanotrophiis aluntur, ut ea verba demonſtrant, quæ paulo ante ex laudata ejus epiſtola attulimus, & alia item quæ hic ſubjicimus (*a*). Sed dabit mihi hanc veniam vir humaniſſimus, verique amantiſſimus, ut dicam non videri mihi cum orphanis noſtrorum temporum, puerisque incertis parentibus natis, & in orphanotrophiis ad certam ætatem alitis comparari poſſe *Pueros & Puellas Alimentarios*, quos & civium Romanorum filios fuiſſe conſtat ex auctoribus ante allatis, nec una omnes in domo communiter, ſed domi ſuæ a parentibus, more aliorum civium Romanorum liberaliter educari mos erat, ſecus atque in noſtris orphanotrophiis fieri videmus. Ego ſane ejuſmodi puerorum, puellarumque cœtus apud Romanos publice conſtitutos fuiſſe, numquam legiſſe memini, nec ullum ejus rei indicium uſpiam reperiſſe. Ut enim omittam nihil ejuſmodi ex auctoribus antiquis, qui de hiſce Pueris, & Puellis Alimentariis agunt, colligi poſſe; inſcriptiones Romanas propemodum infinitas ubique habemus, ex quibus, magno eruditionis emolumento, plurima intelligere licet de moribus & inſtitutis Romanorum, de religione, de publicis & privatis operibus, de magiſtratibus, deque univerſa ejus populi politia. In his plurima ſunt de *Pueris & Puellis Alimentariis*, & *Alimentorum Curatores*, *Quæſtores*, *Præfectos*, aut alio quovis nomine

(a) I quali fanciulli e fanciulle alimentari con l'erario pubblico dovevano eſſere ſimili a quegli orfani, ed eſpoſti maſchi, e femmine; che ſi alimentano negli ſpedali, ed in altri conſervatori, che ſi trovano ora quaſi per tutte le noſtre città criſtiane. *Ex laudat. Ep. Cl. J. Planci.*

ne nuncupatos Alimentariæ pecuniæ curandæ præpositos, sæpe memoratos videmus, ceteraque de genere hoc. Verum de his puerorum & puellarum cœtibus, collegiis, orphanotrophiis, de eorum rectoribus, magistris, pædonomis altum ubique silentium, quamquam tota Italia hujusmodi pueri & puellæ ex publico alebantur. Est præterea inscriptio vetus apud Muratorium (*a*) *C. Alfio Alimentorum Quæstori* a Pueris & Puellis Alimentariis, ut puto Assisiensibus, posita *Consensu Parentum:*

C. ALFIO. C. F. SERGIA
CLEMENTI MAXIMO IV VIR. I. D.
AEDILIQ. PECVNIARVM
PVBLICAR. Q. ALIMENTOR.
PVERI ET PVELLAE QVI
EX LIBERALITATE SACRATIS
SIMI PRINCIPIS ALIMEN.
ACCIPIVNT CONSENSV
PARENTVM EX AERE
CONLATO
. . . . . . C. L. D.

Quid autem hic parentum consensus, si pueri & puellæ una omnes in quibusdam veluti orphanotrophiis, longe ab oculis & cura parentum educabantur? Non erat id perficiendum consensu parentum, sed ejus a quo regebantur, quique orphanotrophio præerat. Accedit quod non eadem omnino singulis pueris & puellis decreta erat alimentorum mensura, sed alia legitimis, alia spuriis, alia pueris, alia puellis. Legimus

(a) *Pag.* CDLXIX.

gimus id apertissime in inscriptione Placentina, quam supra memoravimus, cujus particulam, quæ ad hanc rem facit, hic juvat proferre, primum mihi ab amplissimo viro communicatam Pompejo Compagnono, Auximanorum & Cingulanorum Antistite clarissimo & doctissimo, quem hic iterum honoris causa nomino, ac postea visam inter ephemerides literarias Florentinas, quæ ejusmodi est:

LEGITIMI N. CC|XV. SINGV|OS HS. XVI.
N. F. HS. XLVII. X|. N.
LEGITIMAE N. XXXIV. SING. HS. XII.
N. F. HS. IVƆCCCXCVI.
SPVRIVS. I. HS. CXLIV. SPVRIA. I. HS.
CXX
SVMMA. HS. LIICC. QVAE FIT VSV
RA ꟷ SORTIS SVPRASCRIBTAE

Apud Cl. Lamium in ephemerid. Florentin. puerorum numerus est CCXLV, qui omnino tenendus est, ut inito calculo ejus pecuniæ, quæ singulis adscribitur, facile intelligi potest. Porro habemus in hac inscriptione quorumdam prędiorum obligationem ob HS. deciens quadraginta quatuor millia sex, hoc est HS. 1044006., ex quorum usura quincunce quotannis HS. LIICC, hoc est HS. 52000. conflari debebant, eaque summa in alimenta puerorum & puellarum, ut opinor, coloniæ Placentinæ, eroganda erat ex indulgentia Trajani Imperatoris. Sic autem ea summa distribuenda erat ut pueris legitimis CCXLV. contingerent HS. XLVII. XL. hoc est HS. 47040. puellis item legitimis HS. IVƆCCCXCVI.

hoc

hoc est HS. 4896. spurio uni HS. CXLIV. & spuriæ item uni HS. CXX. Itaque æquali distributione facta singulis pueris legitimis debebantur quotannis HS. CXCII., puellis autem legitimis HS. CXLIV. Sed quid est, inquies, quod pueris legitimis HS. XVI. decernuntur in singulos, puellis autem singulis HS. XII.? Id ita omnino intelligendum esse consentiunt eruditi, ut duodecies in anno, ac fortasse mensibus singulis fieret alimentorum distributio ab alimentariæ pecuniæ præfectis; si enim summam HS. CXCII, quam singulis pueris contigisse diximus, duodecim in partes æquales diviseris; quolibet mense, vel duodecies certe in anno pueris singulis comperies distribui debuisse HS. XVI., ut in ipsa inscriptione notatum est, eademque partitione facta puellas singulas duodecies in anno HS. XII. accepisse. Ac HS. XII. spurius item accipere debuit in menses singulos, spuria vero HS. X.

XII.

QUoniam igitur pueris & puellis non eadem omnibus Alimentorum subsidia constituta erant, non video qui fieri potuerit, ut una omnes in domo, ut in orphanotrophiis nostris mos est, communiter educarentur: præsertim cum alimentorum distributio, vel singulis mensibus, vel certe duodecies in anno fieret, ut non obscure in rarissima hac inscriptione Placentina indicatur. Quod si ubi legimus Romanos principes Pueros & Puellas Alimentarios instituisse, id oporteret de quibusdam veluti orphanotrophiis interpretari, vereor ne nimis tenuis futurus fuisset

hujus

hujus Placentini orphanotrophii censſus, nec par alendis pueris & puellis ducentis uno & octoginta, cum tanto magiſtrorum, præfectorum & ſervorum utriuſque ſexus numero, quanto opus fuiſſet ad liberalem eorum educationem. Quid plura? Ipſi veteres nummi, antiquitatis teſtes incorruptiſſimi, rem hanc veluti ſub oculos ponunt. In his enim ſub variis typis pueri Alimentarii occurrunt, ſed plerumque tamen ætate admodum infantili exhibentur, qua nimirum ætate e parentum ſinu ſine quadam inhumanitatis nota non potuiſſent abduci, ut aliena cura educarentur. Iidem nummi, ſi quid video, morem produnt legendi ejuſmodi pueros & puellas ad alimenta capienda. A parentibus enim Imperatori ſiſtebantur, antequam eorum nomina in Alimentariorum album referrentur, & in publicis tabulis inciderentur. Videmus id in nummis Fauſtinæ ſenioris cum ea celebri epigraphe *Puellae Fauſtinianae*; in quo matronæ Romanæ puellulas ante Imperatorem adducunt in ſuggeſtu ſtantem, & *nomina earum, quæ ad frumentationem admittit matronæ Romanæ eas ſcribenti dictantem*, ut notat ad ejuſmodi nummum Vaillantius: quamquam non hic agitur de frumentaria largitione, ut indicare videtur Vaillantius, ſed de Alimentaria liberalitate, quæ duo plurimum inter ſe diſtant. Mitto alios nummos, qui apud auctores, vel in cimeliis videri poſſunt, ac tantum addo non id ſolum ex nummis, ſed ex celebri Plinii loco in Trajani Panegirico clariſſime intelligi: *Tu ne rogari quidem*, inquit, *ſuſtinuiſti*, & *quamquam lætiſſimum oculis tuis eſſet conſpectu Romanæ ſobolis impleri, omnes tamen antequam te viderent, adirentve,*

recipi,

recipi, incidi jussisti, ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur. Possem alia congerere ad hanc Cl. Planci opinionem infirmandam, sed vereor ne jam nimis multus fuerim in re clarissima. Redeundum igitur ad inscriptionem Cuprensem, a qua digressi sumus.

XIII.

Atque huic quidem inscriptioni multum debemus, ex qua praeclarum hoc Antonini Pii factum de *Pueris*, & *Puellis Alimentariis* apud Cuprenses Montanos vel institutis, vel nova liberalitatis accessione amplificatis intelligimus; sed multo etiam magis debemus quod Cupræ Montanæ, antiquæ Picentum civitatis, situm ante hoc tempus perperam alibi quæsitum & constitutum, ejus indicio certissimo definire licet. Neque enim dubitare jam audeo quin montanum hunc tractum, qui Æsi flumine alluitur, & Cingulum inter ac ipsum Æsim continetur, olim Cuprenses, Montani appellati, habitaverint, atque ibi Cupra Montana, vetustissimum Piceni oppidum fuerit, ubi hæc inscriptio effossa est, passibus ducentum infra Massatium Æsium versus. Sed itane, inquies, unius inscriptionis indicium valebit contra omnium eruditorum sententiam, quorum nemo unus est, qui Cupram Montanam non longissime à Massatii finibus absfuisse dicat? Ego vero, neque enim diffiteor, ubi primum in hanc inscriptionem incidi, quæ eruditorum sententia esset de Cupræ Montanæ situ, haud satis perspectum habebam; sed multum tamen momenti in ea ipsa inscri-

fcriptione effe videbam ad illud vel definiendum, vel confirmandum. Sed cum optime intelligerem, nihil temere pronunciandum in re admodum antiqua, & fortaffe nihilominus obfcura, cœpi, te etiam monente, amiciffime Garatone, ad quem ea de re fcripferam, fedulo inveftigare, effet ne Cupræ Montanæ fitus ita cognitus & perfpectus, novis ut inquifitionibus nullus effet locus relictus. Quid ego confecutus fim judicabunt alii, tuque in primis, qui ad levem hunc laborem fufcipiendum mihi auctor fuifti.

XIV.

FUit itaque multorum opinio Cupram Montanam, apud antiquos auctores fatis notam, civitatem eo loci fuiffe ubi nunc Corinaltum, non ignobile oppidum agri Senogallienfis, alto atque amœno loco affurgit. Atque hæc opinio vel auctores, vel affertores habuit Jacobum Guaftaldium, Sebaftianum Munfterum, Hieronymum Rufcellium, & Joannem Malumbram, fi qua fides habenda eft Vincentio Cimarellio (*a*) fcriptori non admodum accurato; nam eos ego auctores ad manum non habeo. Tantum novi Rufcellium in fua Ptolemæi interpretatione latina pro Cupra Montana Corinaltum vertere. Sed neque ejus, neque aliorum, quos ante nominavi, quidquam me movet auctoritas, quos tota, ut ajunt, via errare perfpicuum eft. Corinaltum enim ex Suafæ reliquiis, apud antiquos Geographos non obfcuræ civitatis, quæ ad Suafanum flumen, nunc

(a(*Hift.Gal. Senon. l. 3. pag. 4.*

nunc *il Cesano*, ſita erat, originem traxiſſe videtur, ut monumenta ab ipſo Cimarellio utcumque congeſta declarant. Quæ autem, malum, dementia eſt, Cupram Montanam in Gallis Senonibus, atque adeo media in Umbria quærere, quam in Picentibus antiqui ſcriptores apertiſſime collocant, ut poſt paulo videbimus? Illud etiam perridiculum eſt quod audio, quoſdam eſſe repertos, qui Cupram Montanam cum Treja, alia quadam antiquorum Picentum civitate, miſcere & confundere auſi ſint, ut ex duabus hiſce civitatibus, & loco, & nomine omnino diverſis, unum Montecli, vulgo *Montecchio*, conflatum oppidum voluerint. Non defuere etiam qui putaverint, Cupram Montanam fuiſſe in vicinia Laureti, vel in ipſo Laureti loco, quod oppidum eſt toto orbe propter Nazarenæ domus religionem celeberrimum; ſed hæc opinio, uti & ſuperiores, idoneis caret auctoribus, & monumentis.

XV.

HActenus itaque probabilior viſa eſt eorum ſententia, qui Cupram Montanam, ubi nunc Ripa Tranſona, collocandam exiſtimant, Firmum inter & Aſculum, e regione Cupræ Maritimæ, notiſſimæ item antiquorum Picentum civitatis, quam multi ibi fuiſſe dicunt, ubi nunc oppidum a noſtris dictum *le Grotte a Mare*. Ita fere Geographi eruditiores, & ſcriptores clariſſimi Cluverius (*a*) Cellarius,

(a) *Ital. antiq. l.* II. *c.* XI.

rius, (*a*) Holstenius, (*b*) Brietius, (*c*) Harduinus, (*d*) Bandrandus, (*e*) & nuperrimus Paciaudus (*f*) cum auctore Dissertationis *de nonnullis Antiquitatibus apud Ripam Transonam repertis*, quæ est inter Dissertationes Academiæ Cortonensis (*g*). His omnibus præiverant Joannes Garzonius Bononiensis, qui ad annum 1447. libellum scripsit de rebus Ripanis, editum postea Anconæ an. 1576., & Nicolaus Peranzonius de Monte S. Mariæ in Cassiano in libro, quem de laudibus Piceni latine scripsit sęculo XVI. ineunte, quem nuper manu exaratum vidi apud humanissimum antistitem Auximanum. Paciaudi vero peculiaris est sententia. Disseruit is admodum copiose & erudite de Ripæ Transonæ antiquitatibus in dissertatione, quam ante citavi; sed is tamen in ea opinione fuisse videtur, si quidem ejus mentem assequor, non duplicem ut Cupram, sed unam eandemque fuisse existimaverit, veluti bifariam divisam, ita ut quæ pars loco inferior esset ad mare, Maritima, quæ autem superior, Montana diceretur. Enimvero cum ei persuasum esset Cupram Montanam ad Ripæ Transonæ locum fuisse, de Maritima vero non ambigeret in iis locis esse collocandam, alteram ab altera non distinguit, ac monu-

(a) *Geograph. antiqu. l. II. c. IX. sec. II. n. 269. & 285.*
(b) *Apud Cellar. loc. cit.*
(c) *Lib. 5. tom. 2. pag. 916. edit. Paris. 1669.*
(d) *In cap. 13. l. 3. Plin. Hist. Nat.*
(e) *Verbo Cupra.*
(f) *Dissert. de Antiquit. Ripæ Transf. in Miscellan. Venet. tom. 6.*
(g) *Dissert. Acad. Corton. tom. 1. Dissert. V.*

menta plurima Cuprensium ita affert, & eruditissime illustrat, quasi ad unam eandemque Cupram pertineant. Sed Cluverii tamen ætate non levem fuisse eruditorum dissensionem de situ Cupræ Montanæ ex ipso Cluverio accipimus (*a*), cui vero propior visa est Ligorii sententia Cupram Montanam ad Ripam Transonam figentis. Id argumento est per eos dies satis certum monumentum non esse repertum, quo verus Cupræ Montanæ situs definiri posset. Quare mirum non est Holstenium, ut in re nondum bene perspecta, & constituta, aliquantulum discessisse a Cluverii, & passim per eos dies recepta sententia. Scribit enim se verum Cupræ Montanæ locum didicisse ab Laurentio Azolino, Episcopo Ripano, qui nimirum locus aliquot passuum millibus esset supra Ripam Transonam. (*b*)

XVI.

NUllam itaque certam rationem secutos homines etiam eruditissimos existimo, ut Cupram Montanam, ubi nunc est Ripa Transona, collocarent, sed conjecturas tantum probabiles, & multum sane infirmas. Cum enim duplicem Cupram in Picenti-

(a) *Cognomen hoc oppido inditum fuisse ad discrimen alterius, quod in litore dicebatur Cupra Maritima, supra dixi. Ex hujus igitur situ colligo Montanam fuisse in proximis montium jugis. Quum variæ sint doctorum virorum de ejus loco opiniones, Ligorii maxime placet sententia, qui id vult esse oppidum, quod supra Cupram Maritimam, sive ut vocant,* le Grotte, *montana regione, edito colli impositum vulgari appellatione est Ripa Transona Episcopali dignitate nobilis.* Cluv. loc. cit.

(b) *Ad cit. Cluver. loc. pag.* 137.

centibus olim fuisse compertum haberent, alteram a scriptoribus Maritimam, Montanam alteram appellatam, & de Maritima quidem vulgo persuasum esset ibi fuisse, ubi nunc oppidum, quod nostris est *le Grotte a mare*, vel non admodum longe ab eo loco; aptissimum Cupræ Montanæ situm eum esse judicaverunt, ubi nunc Ripa Transona, e regione Cupræ Maritimæ in edito monte aliquot passuum millibus supra mare. Ad hanc conjecturam, haud sane validissimam, multum momenti attulisse arbitror crebra antiquæ civitatis vestigia, quæ prope Ripam Transonam conspiciuntur, quæque Cuprenses Montanos ea loca incoluisse indicare videbantur. Accedebat Cupræ appellatio, quam certi cujusdam loci in urbe Ripa Transona propriam fuisse accipimus ex Francisco Pamphilo. Sic enim is in suo de laudibus Piceni libro:

Interius Traso posuit munimine Ripam
Nulli Picentum vicinior ipsa loco.
Hæc fuerant quondam Montana cacumina Cupræ,
Nomine sic dictus monstrat in urbe locus.

Denique cum alii aliis locis aliquando Cupram Montanam figere maluerint, non modo solida argumenta proferre non potuerunt, sed ne conjecturas quidem probabiles. Quare cum & Ripæ Transonæ locus aptissimus videretur, & perspicua antiquitatis monumenta sane plura, atque illustria apud eam urbem in dies erui constaret, atque in ipsa urbe, si qua Pamphilo fides, Cupræ appellatio extaret; nimis pronum dictu erat, non alibi quærendum esse Cupræ Montanæ locum.

XVII.

SEd quamvis hæc satis probabiliter constituta videantur, nutant tamen, ac meo etiam judicio plane corruunt. Nam primo quidem meris conjecturis hæc opinio nititur; inscriptio nulla, nullum monumentum satis certum, atque adeo ne probabile quidem ad eam adstruendam affertur. Deinde quæ ratio multos impulit, ut Cupram Montanam e regione Cupræ Maritimæ collocarent, eadem alios fortasse movere posset, ut eam urbem longius inde dimoveant. Nimis enim Ripæ Transonæ locus, vel potius is locus, quem hodiedum appellant *la città*, ubi crebriora apparent antiquitatis vestigia, ei loco vicinus videtur, ubi Cupra Maritima fuisse existimatur; vix enim urbes istæ IV. aut V. pass. millibus inter se distassent, ut ab eorum locorum peritis audivi. In tanta autem propinquitate civitates duas satis amplas, & copiosas consistere, & agrum alendo populo idoneum habere potuisse non deerit qui ægre sibi suaderi patiatur; licet enim id exemplo non careat, rariusculum tamen est, nec ubique occurrit. Atque ego hac potissimum de causa aliquando suspicatus eram Laurentium Azolinum Ripanorum Episcopum Holstenio Cupræ Montanæ situm quærenti, aliquot mil. pass. supra Ripam Transonam indicasse, maluisseque a communi hominum opinione recedere, & alibi Cupræ Montanæ locum investigare, quam ad Ripam Transonam Cupræ Maritimæ propius, imminentem, & quasi incubantem figere. Sed alia fortasse ratio Azolinum Episco-

piſcopum movit, nam cuniculos neſcio quos & ſubterraneas vias videre ſibi viſus erat in iis locis, quæ a Cupra Maritima ad eum locum pertingerent, ubi is Cupram Montanam fuiſſe conjectabatur, quod & Holſtenio indicavit. Sed vir doctiſſimus Nicolaus Recchius Ripæ Tranſonæ, patriæ ſuæ, Epiſcopus, & patriarum antiquitatum inveſtigator ſolertiſſimus, nihil ejuſmodi in ejus civitatis vicinia ſe vidiſſe teſtatur, ac deceſſoris ſui ſententiam omnino improbat. *Somnium eſt*, inquit, *Epiſcopi Azolini: nam nulli ſunt in ea regione cuniculi præter arenarias Ripæ, quæ, ut Cupram Maritimam attingerent, ultra IIII. millia paſſuum producenda forent. Quid ſi iſti cuniculi eſſent ſupra Ripam Tranſonam?* Hæc notavit vir doctiſſimus ad oram codicis Holſteniani, qui Romæ eſt in bibliotheca Imperiali, cui ipſe decennio præfuit, ut ſignificavit Conſtantinus Rogerius Vir Cl. nunc eidem bibliothecæ præfectus, qui cum hoc, tum alia multa inter legendum ad hanc meam Epiſtolam notavit, mihique ut communicarentur, humaniſſime permiſit.

XVIII.

SEd quid quod ſi Cupram Montanam ad Ripam Tranſonam conſtituas, nullum reperies idoneum locum, ubi probabiliter fuiſſe Cupram Maritimam dicere poſſis? Nam quod vulgo perſuaſum erat Cupram Maritimam ad mare ſitam fuiſſe prope locum *le Grotte*, id qua ratione defendi poſſit, non video. Teſtis eſt P. Paciaudus nullum vetus monumentum umquam eſſe repertum, nullum antiqui ædificii veſti-

gium apparere ad eum locum *le Grotte a mare.* (*a*] Monumenta vero omnia, quæ extant sane plurima circa Ripam Transonam, ac præsertim in eo loco, quem dicunt *la cività*, reperta esse confirmat. Et illud nomen *la cività*, & monumenta ibidem effossa demonstrare videntur ibi Cupram Maritimam fuisse, nec Paciaudus ipse diffitetur celebre Deæ Cupræ templum ibi olim fuisse. Ex quo fit alibi omnino quærendam Cuprensium Montanorum sedem, quoniam esse ibi non potest, nisi ex duplici Cupra unicam velimus efficere.

XIX.

Accedit Plinii, &, ut mihi videtur, etiam Ptolemæi auctoritas, qui Cupram Montanam in mediterraneis Picentum sic collocant, ut facile judidicari possit molto plusquam pass. mil. V. distasse illam ab ora maritima. Plinius in hunc modum Piceni urbes describit: *Tervium, quo finitur Prætutiana regio & Picentum incipit. Cupra oppidum, Castellum Firmanorum, & super id colonia Asculum Piceni nobilissima: intus Novana: in ora Cluana, Potentia, Numana a Siculis condita. Ab iisdem colonia Ancona &c. Intus Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenses cognomine montani, Falarienses, Pausulani, Pleninenses, Ricinenses &c.* [*b*] Est, ut audio, qui Plinii locum alio modo distinguat & legat: *Cu-*

(a) *Dissert. de Antiquit. Rip. Tr. pag.* 132.
(b) *Plin. l.* 3. *c.* 13.

Cupra oppidum, Castellum Firmanorum, & super id colonia; [ideſt Firmanorum] *Aſculum Piceni nobiliſſima; intus Novana, in ora Cluana &c.* quæ lectio magis etiam nobis eſt opportuna. Vides igitur, amiciſſime Garatone, Cuprenſes Montanos intus, ideſt in intimo Piceno a Plinio collocari, & quidem ad eam partem, quæ eſt ſupra Cluanam, Potentiam, Numanam, Anconam, minime vero ad eam, quæ ſupra Cupram Maritimam, & Truentum verſus. Cum enim ex Prætutiana regione ad Picentes accedat, ab ora maritima incipit, & primo Cupram oppidum, hoc eſt Cupram Maritimam, tum caſtellum Firmanorum recenſet. Inde ad mediterranea pergens Aſculum coloniam nobiliſſimam nominat, & minus a mari diſtantem Novanam: at de Cupra Montana ſilet omnino. Inde ad oram maritimam regreſſus Cluanam indicat, Potentiam, Numanam, Anconam; rurſumque, ad ea loca, quæ huic oræ maritimæ reſpondent interius, tranſitum facit, & Auximates, & Beregranos affert, & literarum ordinem ſecutus, Cingulanos & *Cuprenſes cognomine montanos &c.* Ex quo apparet Cuprenſes Montanos & longe a mari ſitos fuiſſe, & ea loca tenuiſſe, quæ ſupra Anconam, Numanam, Potentiam & Cluanam ſunt, non quæ ad Truenti oſtia, & Cupram maritimam ſpectant. Janus Plancus V. Cl. hac una Plinii auctoritate Cupræ Montanæ ſitum certo cognoſci & definiri poſſe exiſtimat, eo quod Cuprenſes Montani juxta Auximates, & Cingulanos a Plinio recenſeantur. [*a*] Verum

(a) Che la Cupra Montana foſſe poi dove è ora il Maſſaccio

rum Plinius hic, ut alibi fere, in recensendis Piceni citerioris civitatibus literarum ordinem sequitur, nec magis ejus valet auctoritas ad Cuprenses Montanos quasi medios inter Auximates & Cingulanos constituendos, quam juxta Falarienses, aut Ricinenses, & si qui sunt alii ex Picentibus, qui magis a Massatiensium finibus sint remoti. Id unum igitur ex Plinii auctoritate colligi potest Cuprenses Montanos quærendos non esse iis locis, ubi Cuprenses Maritimi fuerint, eosque longius abfuisse a Ripæ Transonæ loco. Ex quo fit in alia Piceni parte quærendum esse ejus civitatis situm, sed ad eum definiendum, certoque statuendum in Massatii oppidi vicinia, uti Cl. Planco videtur, nullum in Plinii auctoritate momentum est.

XX.

Cum Plinio consentire videtur Ptolemæus; sic enim Picentes describit, juxta editionem Maginianam, quam unam adhuc videre licuit: *Castro. Cupra maremma. Bocca del fiume Truento. Potentia. Numa-*

---

saccio di Jesi, e dove è stata trovata questa Lapida, apparisce dalla descrizione, che fa Plinio della quinta regione d'Italia nel Lib. III. al cap. 13, dove così incomincia: *Quinta regio Piceni est, &c.* e dopo aver descritte molte Città del Piceno, e tra queste la Cupra semplicemente, che mette vicina al Castello di Fermo, ec. passa a descrivere altre Città, ed altri popoli del Piceno dicendo: *intus Auximates, Veragrates, Cingulani, Cuprenses cognomine Montani*. Dove si vede, che egli ripone i Cuprensi Montani vicino ad Osimo, e a Cingoli, come in fatti è presentemente il Massaccio. *J. Planc. ep. cit.*

Numana. *Ancona*. Hæc in maritimis locis. In mediterraneis vero: *Trajana*. *Urbe Saliva*. (a) *Settempeda*. *Cupra Montana*. *Firmio*. *Asculo*. *Adria*. Non sum nescius, non admodum accuratum esse auctorem hunc in locis præsertim mediterraneis describendis, sed tamen semper dormitasse illum non crediderim. Quod si Cupra Montana Maritimę contermina, atque usque adeo vicina fuit, ut vulgo existimatur, cum id Ptolemæus ignorare non potuisset, non video cur alteram ab altera distinguere debuisset. Quod si quis Cupram Montanam a Maritima recte secretam a Ptolemæo contendat, quod hæc in ora maritima, illa in mediterraneis fuerit, quid est, cur Ptolemæus quoque Cupram Montanam cum ceteris Piceni urbibus, quæ ad oram Anconitanam spectant, cum Plinio collocat, tum ad Firmum, Asculum, Hadriam regreditur, quæ in ora Cupram Maritimam habent, & Truenti ostia? Quid est cur inter Firmum, & Asculum eam urbem non interserit, sed locum ei in citeriore Piceno ante Firmum assignat? Hunc ego scriptorem minus quandoque accuratum non diffiteor, ita stolidum non judico, ut omnia sus deque misceat, & pervertat. Quod si qua fides ejus Tabulis Geographicis habenda sit, hinc etiam intelligi poterit, Cupram Montanam multum a Cupræ Maritimæ finibus distasse. Etenim in Tabula VI. Europæ, ubi Italia & Picenum describitur, Cupram Montanam, in ipso Piceni meditullio sitam videre licet, quod, etsi ad verum ejus civitatis locum definiendum haud sane multum conducat, tamen aperte demonstrat Cupram Montanam a Maritima longius absfuisse. XXI.

(a) *Hoc est Treja, Urbs Salvia.*

XXI.

CUm itaque nec ullum Cupræ Montanæ certum vestigium supersit iis locis, ubi nunc Ripa Transona, & Plinii etiam, ac Ptolemæi auctoritas eorum opinioni refragetur, qui eo loci Cupram Montanam figunt, quid causæ sit non video, cur Cuprenses Montanos negemus extremum hunc Agri Piceni limitem incoluisse, ubi Massatium est, alteri illi, ubi Cupra Maritima, & Ripa Transona, ex diametro oppositum. Ecquod enim illustrius ejus rei testimonium requirimus inscriptione hac nostra, aut quam rationem inibimus ad antiquarum urbium, & populorum sedes internoscendas, si hanc respuimus? Est hoc argumenti genus eruditorum omnium suffragio comprobatum, si quidem de loco, ubi primum erutæ sunt ejusmodi inscriptiones antiquæ, certissime constet, nec suspicari liceat, ne sint aliundæ advectæ, uti de nostra hac certe suspicari non licet, quæ hic eruta est XXX. ab hinc annis ad Divi Eleutherii, nec desunt viri probatissimæ fidei, qui & locum designare possint, unde eruta est, & tempus meminerint, cum primo reperta, cumque ad Ferrantiorum ædes transvecta est, curante scilicet Dominico Ferrantio, qui patriæ suæ dignitati egregie consuluit, cum rarum hoc monumentum, cujus ope & Cupræ Montanæ situs, & Massatii origo aliquando detegenda erant, ab interitu, cui erat obnoxium, eripuit. (*a*) XXII.

(a) *A. D. MDCCXVIII. IV. Non. Octobris Inscriptio ista translata est ad Ædes Ferrantiorum mensibus aliquot, postquam reperta fuerat.*

XXII.

SEd quamvis hujus inscriptionis testimonium omni exceptione majus habendum sit, juvat tamen aliis argumentis, & quasi adminiculis ejus fidem adstruere. Nam in fundo quidem, ubi lapis iste effossus est, admodum perspicua apparent antiquitatis vestigia, quæ haud ignobile oppidum ibi olim fuisse indicant, quæque si multo ante id tempus ab sedulo aliquo istarum rerum investigatore observata fuissent, antequam magis corrumperentur & perirent in dies, multo etiam illustriora Cupræ Montanæ indicia haberemus. Occupabat vetus id oppidum eam planitiem, quæ infra Massatium est Æsium versus ad Divi Eleutherii, quæ pervetusta Ædes est Divo Massatiensium tutelari sacra: Plebem S. Eleutherii vulgo appellant, ejusque curator Plebanus olim, nunc Archipresbyter dictus, intra Massatium oppidum habitat ad Divi Leonardi. Verum non eam solum planitiem occupabat vetus ea civitas, sed etiam campos adjacentes, eos maxime, qui facili declivio protenduntur in Boream. Altius enim effossa humo in extrema ejus agri parte, quæ ad Plebem Divi Eleutherii pertinet, antiquorum ædificiorum vestigia ibi quoque deprehendimus. In Æde Divi Eleutherii, propterea quod magna ex parte refecta sit, nihil est, quod magnam præseferat vetustatem, si muri partem non exiguam excipias ex secto lapide operis sanequam antiquissimi. Sed tamen totus ille tractus parietinis & ruderibus ita refertus est, ut non

modo

modo, ubicumque terram effodias ædificiorum reliquiæ ingentes, & lateritii canales, & subterranea cubicula, & pavimenta mire elaborata appareant; sed aliquid etiam hujusmodi supra terram non uno in loco emineat, ex quo de amplitudine & magnificentia ædificiorum, quæ in his locis erant, facile conjecturam facere licet. Est rusticana domus in eo prædio, quod ad Divi Eleutherii spectat, ubi ejus oppidi partem nobiliorem fuisse crediderim, antiquis parietinis superstructa. Visuntur hic ingentium fornicum reliquiæ, quibus domus ipsa est imposita, & quod superest, antiqui muri tanta crassitie, tantaque firmitate est, ut admirationi esse possit iis, quibus non satis perspectum est, quæ olim esset ædificandi ratio, rebus præsertim Romanorum florentibus. Hinc profluxit Arcis Acciæ commentum non illepidum; in his enim veterum murorum reliquiis, cujusdam Arcis munitissimæ, olim ab Romanis conditæ, vestigia nescio quis videri sibi visus est, idque in vulgus edidit, ac nomen etiam ejus Arcis acute excogitavit, voluitque Acciam esse dictam, unde processu temporis Massatium, sive Massaccium quasi Massa Accia emerserit. Sed mittamus nugas.

XXIII.

SUpra eam domum, ubi agricolæ hortulus est, ædificia fuisse pereleganter pavimentata, compertum est. Ex his alia erant exagonis laterculis constrata, quod pavimenti genus satis vulgare habitum esse crediderim in illa Romanorum lautitie, & magnificentia, alia autem ex marmoreis crustis

per-

perpolitis, apteque figuratis, ut inter se artificiose componi possent, earumque ingens copia passim eo loco effoditur. Quamvis autem totus ille tractus continua plurium saeculorum fossione, & consitione disiectus, & dissipatus sit, alicubi tamen integra extant ejusmodi pavimentorum vestigia. Particulas aliquot, ubi tantillum agri adhuc intacti reperire licuit, detegi, & mundari curavimus, secus viam, quae est inter Divi Eleutherii, & praedium istud, de quo dicimus, suntque intra ejus ipsius praedii septum. Videre hic licet, cujusmodi essent asarota illa pavimenta antiquorum, vel marmorato oblinita, & picta, vel ex minutissimis tessellis composita, quae musiva appellamus, de quorum origine, & usu apud Romanos plura habet Plinius (a). Utriusque generis specimen aliquod hic adhuc superest, imprimisque admiratione digna est integerrima, ac vividissima colorum species, qui in reliquiis prioris illius pavimenti ex marmorato apparent, quosque neque interfluus humor, neque acriores succi, quibus humus, montanis praesertim locis referta est, quique vel durissima metallorum corpora labefactare solent, vel dissolvere, vel vitiare ullo modo potuerunt.

XXIV.

Possem hic etiam commemorare plurimos in iis locis reperiri nummos veteres ex omni forma & metallo, & omni aetate percussos, quae res notissima, ac vulgatissima est. His proximis mensibus sane plurimos recens effossos vidi, meras tamen quisqui-

(a) *Hist. N. l. 36. c. 25.*

ſquilias, ſi unum fortaſſe, & item alterum exceperis, non prorſum tritos, & vulgares, quos Ravennam miſi ad Gabrielem Guaſtuccium, Monaſterii Claſſenſis monachum, iſtarum elegantiarum amantiſſimum. In his eſt Divi Romuli, quem ferunt, Maxentii filii nummus integerrimus, & ſatis elegans ex ære, & argenteus unus ſequioris ævi, cujus altera facies habet HLVDOVVICVS IMP. altera vero VENECIAS. Ejuſmodi nummum videre eſt apud Leblancum, & Muratorium, alioſque, ſed Muratorius eum non Venetiis noſtris, ſed Venetiæ Britanniæ minoris urbi adjudicandum eſſe pronunciat. Non deſunt alia antiquitatis veſtigia, & inſcriptionum antiquarum fragmenta, (*a*) & ollæ cinerariæ, & diverſi generis vaſa fictilia, quæ paſſim deteguntur. Loculus nuper inventus eſt cum oſſibus humani cadaveris ex tegulis prægrandibus, ut mos olim fuit, conſtructus, in quibus id eſt inſcriptum: C. CAMVRI SAL. F. Aliam figlinam veterem in iiſdem Cupræ Montanæ parietinis inveni, quæ nunc eſt apud Ferrantios, cum hac inſcriptione: C. C. C. L. AVCTI., quæ ab inſcriptione figlinæ ſuperioris haud multum abludere vide-

(a) *Tabulas duas marmoreas inſcriptas ſunt qui meminerint vidiſſe in fundo beneficiario Chriſtophori Broachæ, Presbyteri Maſſatienſis, prope Cupræ Montanæ locum, eaſque multorum opinio eſt in reparatione domus rusticanæ, quæ in eo fundo eſt, eſſe abſumptas. Ex variis vero veterum Inſcriptionum fragmentis, quæ vidimus, nihil fere exſculpi poteſt, ſi forte nomen aliquod excipias, uti eſt iſtud*

RVFFVS. F
IV.

Brachium quoque marmoreum ſtatuæ virilis effoſſum ad Divi Eleutherii, eſt apud humaniſſimum virum Iſidorum Ferrantium, & pedem item marmoreum alii viderunt eodem loco repertum.

videtur. Cum enim ibi *C. Camurium* nescio quem habeamus, ex cujus nimirum officina ea figlina prodierit, non video cur hic legere non liceat *C. Camuri. C. Liberti. Aucti*: ut Auctus iste vel superioris Camurii, vel alterius ex ea gente Libertus fuerit, eidem officinæ præfectus. Gens autem Camuria cum aliis locis per Italiam, tum apud Attidiates a Cuprensibus Montanis non multum dissitos notissima erat, ut ex insigni inscriptione C. Camurio posita apud Muratorium, (*a*) & ex alterius inscriptionis fragmento apud Attidiates reperto, quod in schedis Hieronymi Comitis Vecchii Fabrianensis ejusmodi est:

Q. CAMVRIO. L. . . . .
LEM. NVM. . . . . . .
IVNIORI.

Habemus & Camurium XV. Leg. militem apud Tacitum (*b*), quem crebrior fama tradidit impresso gladio Galbæ Imperatoris jugulum hausisse. Sed quid attinet hic de gente Camuria differere? His ipsis diebus, quibus hæc scribimus, vetus sigillum, in ruderibus Cupræ Montanæ repertum, perlatum est ad nos, cui id est inscriptum:

Q. FLAVI
HERMETIS

Sed & leunculus ex ære elegantissimus ibidem his diebus repertus est, & lapideum leonem grandiorem eodem item loco effossum videre licet in fastigio templi Divi Leonardi intra oppidum Massatium. Ex

quo

(a) *Pag. DCLXXXVI. & MXCVI.*
(b) *Hist. l. 1.*

quo haud scio an quidquam suspicari liceat de cultu Matris Deûm apud Cuprenses Montanos. Sed & laterculum quoque fictilem, arte plastica elegantissime formatum, vidimus apud Antonium Martirellium Archipresbyterum Massatiensem, cujus hic ectypon damus. Effossus est haud ita pridem prope eum locum, unde nostra inscriptio Cuprensium Montanorum index eruta est, passibus aliquot supra domum rusticanam, de qua ante diximus. Atque hinc etiam magis, ni fallor, apparet, fuisse eum locum nostri hujusce oppidi celebriorem, illustrioremque, ubi & ædificia splendide constructa, & his etiam plasticis operibus ornata essent, & publicum illud monumentum Antonino principi poni commode potuisset.

XXV.

Est præterea vetus quoddam ædificium pari fere spatio Massatium inter & Cupræ Montanæ locum, secus viam, qua Æsium itur, quod instar subterraneæ cryptæ olim erat, nunc magna ex parte supra solum eminet, decrescente scilicet in dies modico eo tumulo, sub quo ædificium istud erat effossum, & humo, qua tegebatur, ut fit in ejusmodi locis, sensim dilabente. Longum est palmos Rom. 85. 11. latum 47. 8. altum vero introrsum ad palmos 18. Totum opus ex calce & fragminibus diversæ materiæ, arenaque simul coagmentatis solidissimum est, ac fornicibus ex eodem opere firmissimis contectum. Inferius duas in partes dividitur secundum longitudinem, patetque aditus ex una in alteram per arcus sex informes, satis humiles, vix palmos 6.

l
e
:.
s
o
r-
b
n
e
)-
es
i-
,
ıe
m
f-
ec
n-
:i-
s,
uo
ıus

tit.

yc.

(c) *De Laud. Picen.*

por [illegible]
altos.

altos. Exterius rude & impolitum eſt, utpote quod, ut dictum eſt, totum ſub terra latebat. Interius tectorio opere decenter ornatum erat, ejuſque non exiguæ reliquiæ integerrimæ adhuc viſuntur. Super id moles olim extabat non minima ex ſecto lapide quadrato, ut ex multis indiciis, meo judicio certiſſimis, conſtat. Sed ante hanc memoriam ea moles diſiecta eſt, nec cujuſmodi fuerit, conjectari licet. Ejus reliquias, lapidis ſecti magnam vim, in variis ædificiis & operibus vel privatis, vel publicis, abſumptas fuiſſe probatiſſimorum hominum teſtimonio accepi. Eſt is locus veteri infamia notiſſimus: Barlotium vulgo dicunt, ac multorum opinio eſt ab hæreticis, quos Fraticellos (*a*) dicebant, extructum fuiſſe, ut ibi ſuos cœtus ſceleſtiſſimos clam habere poſſent, unde & Barlotium nomen traxerit, ex quodam ſcilicet nefario ritu, quo ejus ſectæ homines in ſuis nefariis ſacris utebantur: quem ritum deſcribit pluribus Fl. Blondus auctor Synchronus (*b*), Franciſcus Pamphilus (*c*) & alii plures. Et ſane cum ea peſtis medio ſæculo XV. late per Picenum cum edictis graviſſimis, tum vi & armis compreſſa, & male multata fuiſſet, ejus reliquias ad hæc loca, atque in hunc Piceni extremum limitem confluxiſſe manifeſtum eſt, nec a vero abhorret latibulum hoc maxime delegiſſe homines ſpurciſſimos, ut ſuarum obſcœnitatum ſacrarium eſſet. In quo quid agerent in nocturnis illis congreſſibus, quibus arti-

D

(a) *Rainaldus ad ann.* 1421. *&c. S. Antonin.* 3. *p. tit.* 22. *&c.*
(b) *Blond. Ital. Illuſt. ex interpr. Italic. L. Fauni. p.* 126. *&c.*
(c) *De Laud. Picen.*

artibus viros fœminasque sub religionis specie deciperent, quibus denique præstigiis ab se deceptos dementarent, & ad infanda sacra initiarent, nec hujus loci est dicere, & cum pudor vetat, tum res est vulgari fama, & multorum scriptis notissima (*a*). Sed ut facile concesserim fuisse ejus cryptæ latebras aptissimas ad tantam flagitiorum colluviem occulendam judicatas, ad idque delectas, supra fidem tamen esse videtur, ut illa fæx, & fugitivorum hominum manus tantum opus construere potuerit. Accedit quod & multo majorem antiquitatem præseferre videtur, quam ut medio sæculo XV. sit conditum, & tantæ amplitudinis erat, ut & alios omnino conditores habere, & ad alios usus factum esse debuerit, quod ejus enim nunc superest, aliqua tantum pars est, ut ante diximus. Eruditissimus Raphaellius, quem ante nominavi, rogatu meo cum nuper ad hæc Cupræ Montanæ vestigia consideranda venisset, longe antiquissimum esse hoc ædificium judicavit, & fortasse ad Romanorum tempora referendum. Erat una Octavius Turcius Canonicus Piranus, antiquitatum studiosissimus, cujus idem ea de re judicium fuit. Ego enim eo consilio viros eruditos accersiveram, ut in eorum auctoritate præsidium aliquod statim haberem, si quis esset qui, propter rei novitatem, non satis sibi persuadere posset hæc me Cuprensium Montanorum indicia in his locis reperisse. Audiveram enim esse qui nescio quid mussitarent, dicerentque permirum sibi videri in ea inscriptione, quæ apud Ferrantios est, *Cuprenses Montanos*

(a) *Blond. loc. cit. &c.*

tanos legiſſe me, cum tale aliquid nec Cl. Abbas Petrus Cannetus ex ordine meo vir eruditiſſimus, qui eam exſcripſiſſe dicitur, nec Angelus Tacchius, presbyter Maſſatienſis, cujus recens eſt, nec tenuis, fama hic in patria ſua, nec alius ante me quiſquam vidiſſet. Sed quis tandem ejus ædificii, quod ſupra deſcripſimus, primitivus uſus fuerit, divinare non licet. Niſi tantæ amplitudinis eſſet, ad alicujus familiæ ſepulcrum conditum fuiſſe, aliquis non inepte ſuſpicari poſſet; neque enim inauditum eſt ejuſmodi ſepulcra concamerata, & etiam admodum ampla, olim in uſu fuiſſe. Sed hic noſter ſpecus non unius modo familiæ, ſed totius populi Cuprenſis Montani cineres capere potuiſſet.

XXVI.

SEd nullum, meo quidem judicio, his locis habemus illuſtrius antiqui oppidi indicium, quam aquæductum in topho excavatum, qui paucis ab hinc annis caſu detectus eſt, quique aquam ab eo fonte duxiſſe videbatur, qui ſubtus Portam ſuburbii Maſſatienſis, qua Æſium itur, manabat, quemque aggeſta paulatim humo per incuriam corruptum pene jam intercidiſſe vidimus. Altus eſt ductus iſte palm. Rom. 5. 10., latus palm. 2. 9. quamquam non eadem ubique altitudo eſt, ſed alicubi aliquanto minor. Cum primum ſubterraneus iſte ductus detectus eſt, varia hominum judicia fuere, ſed qui melius aliquid in ea re vidiſſe exiſtimati ſunt, cœcum iter, & occultam viam eſſe dixerunt, qua ab Arce Accia, quam in antiquis hujus noſtri oppidi ruderibus ſomni-

mniando viderant, ad Massatium oppidum clanculum iri posset. Sed pudet hæc somnia regere. Plumbei tubi prægrandes aliquot ab hinc annis effossi sunt secus eum locum., ubi hujus cuniculi exitus, quantum conjectura colligere possumus, esse debebat. Ibi etiam coctiles tubi hodiedum effodiuntur, vel eorum certe creberrima fragmenta passim occurrunt, & subterranea quoque aquarum conceptacula eo loci fuisse facile conjici potest ex eo, quod narrant, se ejus loci agricolæ deprehendisse, cum terram lucri spe allecti altius effoderent, quod sæpe eos factitasse cognovimus. Hæc ego cum mecum animo versarem, locique situm considerarem, haud ægre mihi suadebam, non aliunde quam per cuniculum illum, quem ante descripsimus, aquam in ea loca influere potuisse. Sed liquido tandem non alium, quam aquæ ducendæ ejus cuniculi usum fuisse perspexi ex ea crusta, quæ ex diuturno aquæ decursu ad ejus fundum, ac latera concrevit, quæ quidem crusta ad fundum aquæductus semidigitali crassitie est, ad latera autem multo minori.

XXVII.

HÆc indicia, & vestigia antiquissimi oppidi, & quidem satis ampli, & lauti in his locis habemus, non fucata illa & ficta, sed solida, atque expressa, &, ni mea me fallit opinio, clarissimis inusta notis veritatis. Ecquod autem oppidum istud fuerit, nemo ante hoc tempus, ne conjectando quidem, pervidere tentavit, si Arcis Acciæ somniatores

exce-

exceperis. Sed Cupram Montanam fuiſse, nunc tandem Inſcriptionis noſtræ beneficio compertum eſt, & montana hæc regio mirum in modum congruit, præſertim cum nemo hactenus, niſi ineptiſſime, ejus civitatis ſitum alibi quæſierit. Accedit, quod Cupræ appellatio, etſi penitus ætate noſtra his locis extincta ſit, aliquod tamen ejus veſtigium ſupereſt in *Podii Cupi* nomine, qui locus hinc diſtat ad paſsus mille quingentos. Quod enim nunc *Caſtrum Podii Cupi*, olim *Podii Cupræ* dicebatur, ut conſtat ex Diplomate Innocentii III. Dat. Laterani ann. 1199. quo jura noſtræ olim Camaldulenſis Abbatiæ S. Elenæ ad flumen Æſim confirmantur, ubi præ ceteris recenſentur, *poſſeſſiones, quas habetis in caſtro Podii Cupræ, cum hominibus quos ibi habetis*. Hujus Diplomatis autographum extat Romæ in noſtro Camaldulenſi Archivo ad Divi Romualdi (*a*), unde aliquot ab hinc annis exſcriptum eſt ab Anſelmo Coſtadono ex Ordine noſtro viro erudito, qui aliquot ejus particulas, atque hanc imprimis, quam hic proferimus, caſu, & quaſi aliud agens ad me miſit, nunc tandem magno mihi uſui futuras. Ego integrum vulgabo in diſsertatione *de Æſi flumine, & locis adiacentibus*, quam edere cogito. Porro *Caſtrum Podii Cupræ* in eo diplomate memoratum idem eſt, quod nunc Podii Cupi appellamus, Abbatiæ S. Elenæ conterminum, & ſolo Aſinantis fluvio diviſum, ubi noſtri Camaldulenſes, & ea imprimis Abbatia ampla obtinent latifundia. Primarium quoque ejus caſtri Sacerdotium monachum Camaldolenſem

(a) *Vol. XV. num.* 7.

ab antiquissimis temporibus curatorem habuit, usque ad Innocentii X. tempora, cujus lege cautum est, ne Regularibus extranea hujusmodi Sacerdotia habere imposterum liceret. Sed jus tamen instituendi Sacerdotis in eo Castro ad nostrum Ordinem pertinet. Ne quis autem dubitet ex *Podii Cupræ* nomine corrupto emersisse novitiam Podii Cupi appellationem, animadvertere juvabit vetus nomen Podii Cupræ, quod sedente Innocentio III. obtinebat, paulo post illud tempus in *Podium Cupri* defluxisse, unde *Podium Cupi*, vulgo *Poggio Cupo*, tandem fictum est. Evincitur id ex pervetustis tabulis agrariis Æsinæ civitatis vulgo *il Catasto Vecchio*, ante annos, ut minimum quadringentos scriptis in codice membranaceo, quem vidimus in Tabulario publico Æsinorum. In extremo enim ejus codicis folio sic nuper legi: *De Castro Massatii Margarita uxor olim de Racimbeni habet terram in curia* Podii Cupri, *in fundo terræ Metii, juxta viam cannas centum quinquaginta octo.* Sed enimvero illud quoque prætereundum non est quam inepte, atque adeo absurde, is locus nunc *Podii Cupi* nomine dicatur. Qui enim *Podium Cupum*, *Poggio Cupo*, dicit, is perinde est ac si collem imum, aut montem profundum nostra lingua dicat; id enim *Podium Cupum* apud nos sonat: quæ duo ita inter se pugnant, nihil ut magis. Neque vero in nomine solum, sed magna in re ipsa absurditas est; neque enim imus, ac depressus est is locus, ubi Podii Cupi Castrum est situm, sed præaltus, atque editissimus; assurgit enim ad mille passus; & eo amplius, supra flumen Æsim, & Asinantem, quo fit ut ex utraque ea parte perdifficilem habeat ascensum. Nequit igitur id

pro-

proprium ac nativum ejus loci nomen esse, sed ex Podii Cupræ nomine corrupto a nostratibus conflatum sit oportet. Cujus rei conjecturam quoque ex eo capere licet, quod Oppidulum hoc, vulgo nunc *Podium Cupum* appellatum, *Podium Cupi* olim dicebatur, ut ex tabulis hujus publici Archivii Massatientium innumeris ante annos ducentos, ac tercentos scriptis, compertum est. Ejusmodi autem appellatio multo affinior est ei, quam exeunte sæculo XII. habebat, cum Castrum Podii Cupræ, ac multo magis cum *Podii Cupri Castrum* dicebatur.

XXVIII.

AC de situ quidem Cupræ Montanæ hactenus. Sed tu tamen cave aliud quidpiam ea de civitate a me requiras, cujus pene memoriam omnem delevit antiquitas. Quod si te conjecturæ fortasse delectant, superioribus conjecturis alias addere juvabit. Ac de nomine quidem Cupræ Montanæ vix dubito, quin ex Dea Cupra sumptum sit, quemadmodum & Cupram Maritimam consentiunt omnes ex eadem Dea Cupra nomen traxisse. Erat ejus templum celeberrimum: ultra Firmanorum fines prope oram maritimam a Strabone memoratum, a Silio Italico, aliisque, quod Hadrianus vetustate corruptum restituit, ut ex inscriptione apud Gruterum, & apud nuperrimum Paciaudum in laudata dissertatione de antiquitatibus Ripæ Transonæ (*a*). *Dein Cupræ est Fanum*, inquit Strabo, oram maritimam

(a) *Pag.* 83.

Piceni describens, *conditum, dedicatumque ab Etruscis, qui Junonem vocant Cupram* (*a*), ni mavis Cypram, quod perinde est. Silius autem ex editione P. Marsi (*b*).

Hic & quos pascunt scopulosæ rura Numanæ,
Et quis littoreæ fumant altaria Cupræ,
Quique Truentinas servant cum flumine turres
Cernere erat, &c.

Cellarius (*c*), Gorius (*d*), aliique bene multi uti nomen ab Dea Cupra, ita ab Etruscis Deæ Cupræ cultoribus eam civitatem traxisse originem existimant. Cumque persuasum esset Cupram Maritimam Montanæ conterminam fuisse, eandem in utroque & nominis & originis rationem fuisse judicarunt, quod æque verum esse poterat, etiamsi locis inter se duæ istæ civitates plurimum distarent. Hic tamen moneo non videri extra dubitationem omnem id, quod de Dea Cupra dicunt. Dea enim Cupra, quæ Etruscis Juno, Sabinis Bona Dea esse poterat, qui bonum *cyprum*, sive *cuprum* dicunt, pro usu promiscuo literarum y, & u, quemadmodum ex Varrone observat Reinesius, nam *cyprum Sabine bonum*, inquit Varro (*e*). Quod si Picentes a Sabinis orti sunt, ut est apud Plinium [*f*], & apud M. Porcium Catonem (*g*) supra fidem non esset ab iisdem & Deæ Cupræ religionem in Picenum esse profectam, & Cu-

præ

(a) *Geogr. l. V.*
(b) *Lib. VIII.*
(c) *Geog. ant. l. 2. c. 11.*
(d) *Mus. Etrusc. Tom. 1. p. 64.*
(e) *L. 4. Vid. Reines. in 125. h.*
(f) *L. 3. c. 13.*
(g) *De origine.*

præ utriusque civitatis originem esse repetendam.

XXIX.

DE amplitudine ac dignitate Cupræ Montanæ nihil pariter habemus, nisi conjecturas paucas, easdemque non admodum solidas, sed ejusmodi tamen, ut prætereundæ non sint. Plinius Cuprenses Montanos cum ceteris Piceni civitatibus per eos dies florentissimis sine ullo discrimine recenset; at Ptolemæus cum in paucis hujus clarissimæ Provinciæ civitatibus, quas, ceteris omnino prætermissis, describit, Cupram Montanam numerat; eam meo quidem judicio ex illustrioribus Piceni civitatibus fuisse demonstrat; neque enim credibile est voluisse illum celebratissimas urbes, locaque clarissima omittere, ut tenuiora describeret. Ex eo etiam quod apud Cuprenses Montanos beneficio Romanorum Principum Pueris & Puellis alimenta ex publico decreta fuerint, quemadmodum ex nostra Inscriptione compertum est, aliquis fortasse conjiciet ejus civitatis dignitatem, quæ ejusmodi fuerit, ut in ejus commodis & ornamentis augendis publicas opes rectissime impendi Optimi Principes existimaverint.

XXX.

QUærit eruditus P. Paciaudus in sua Dissertatione de Cupræ, seu Ripæ Transonæ Antiquitatibus, sitne Cupra Coloniis Romanorum adnumeranda (*a*), aitque ita sibi videri propter Frontini

(a) §. II. *pag.* 91.

tini auctoritatem: *Ager Cuprensis*, inquit Frontinus, *Truentinus*, *Castranus*, *Alternensis lege Augustea assignati*. Ac paulo post: *Cuprensis ager ea lege assignatus*, *qua & ager Castranus*. His verbis Coloniarum deductionem designari facile concedimus viro doctissimo; sed agrum Cuprensem a Frontino memoratum fuisse constat Truentino, & Castrano vicinum, eum scilicet qui Cupræ Maritimæ adjaceret, & esset ab Agro Cuprensi Montano omnino diversus. Quare ut de Cupra Maritima non negamus ex Coloniis Romanorum esse habendam, propter Frontini testimonium, ita de Cupra Montana dicere non audemus. Sed Paciaudus cum Montanam Cupram apud Ripam Transonam non recte constituit, tum non satis duplicem Cupram, Montanam a Maritima, distinguit. Interim hic abs re fortasse non erit animadvertere a Frontino agrum Cupræ Maritimæ adjacentem Cuprensem omnino dici absque ulla nota, quod non temere, sed certa ratione factum oportuit. Sic enim existimo & populum, & agrum Cupræ Maritimæ nulla apposita nota Cuprensem, dici consuevisse; quoties autem Cupræ Montanæ, aut populum, aut agrum nominare oportuisset, *Montani* appellationem adjungi debuisse. Franciscus M. Raphaellius, quem hic iterum honoris causa nomino, alia ratione probare se posse putat Cupram Montanam in Coloniarum numero esse habendam, non secus ac ceteras Piceni civitates, nimirum ex lege Flaminia *de agro Piceno*, *& Gallico viritim dividundo*. Quæ vis hujus argumenti sit, explicabit ipse in iis libris, quos de antiquis Picentibus edere parat in lucem.

XXXI.

XXXI.

Est vetus inſcriptio apud Atinates olim reperta, & nunc Turri horariæ ad Divæ Mariæ infixa, quam non ſemel ediderunt viri docti Gorius, Muratorius, Marangonius, Bonaventura Theolus, P. Paciaudus, & Cl. Academicus Cortonenſis ſupra laudatus, ſed tanta lectionum varietate, ut merito ſuſpicari aliquis poſſit non eſſe unam eandemque Inſcriptionem. Gorii exemplum, a quo vulgata eſt inter Donianas, ex collectaneis Dominici Panicalis ita ſe habet:

M. RVBRENO. VIRIO. PRISCO. POMPONIANO
PROCVLO. MAECIANO. COS. CVPR. COO. CVR
COL. MINTVRNENSIVM. APRIC. CVR. COL. FOR
MIANORVM. PRAET. CANDIDATO. QVAEST.
CANDIDATO. X. VIRO. SALIO. COLLINO. CIVI
ET. PATRONO. ORDO. ET PLEPS. ATINA
PVBLICE.

In latere ejuſdem lapidis hæc leguntur:

IVNIAE. ARRIAE. RVFINAE. C. F
VIII. COS. FIL. EIVS.

Laudatus Academiæ Cortonenſis ſocius, quem eſſe conſtat Rodulphinum Venutum V. Cl., qui ſub nomine Tarquinii Coritani diſſertationem edidit *de quibuſdam antiquitatibus ad Ripam Tranſonam repertis*, & eruditus P. Paciaudus non eodem prorſus modo eandem inſcriptionem legunt. Ut enim omittam alicubi SALLO, pro SALIO legi, PLEBS, pro PLEPS, PVBBLICE, pro PVBLICE, & ſi qua ſunt præterea de genere hoc, quæ typothetarum indiligentiæ tribui poſſunt, qui Gorio eſt *Ru-*

bre-

brenus, & *Maecianus*, apud Academicum Cortonensem est *Rubenus*, & *Marcianus*. Marangonius vero nec *Marcianum*, nec *Maecianum*, habet sed *Majanum*. Is etiam pro COS. CVPR. COO., quod habent & Gorius & Paciaudus, & Academicus Cortonensis, legit COS. CVPREO. Muratorius eandem inscriptionem bis dedit, primo quidem pag. CCCLX. num. 2., tum quasi a priore diversam pag. MCX, ac primo quidem ex suis schedis, tum ex Donio. Sed magnopere dissonum est utrumque Muratorii exemplum a superioribus. Nam qui aliis est *Virius Marcianus*, vel *Maecianus*, vel *Majanus*, Muratorio dicitur *Verius Majanus*. Mitto cetera, ac tantum animadverto nihil de *Consulatu Cuprensi*, vel *Cupreo*, cujus aliquod indicium est in exemplis hujus inscriptionis a Gorio, Paciaudo, Venuto, & Marangonio editis, apud Muratorium extare in primo hujus inscriptionis exemplo, quod affert ad pag. CCCLX. n. 2. Versu enim tertio pro COS. CVPR. COO. legit Muratorius COS. PR. PR. In tanta lectionum varietate difficile est aliquid certi proferre. Paciaudus, & eruditus ille Academicus Cortonensis M. hunc *Rubrenum*, ni mavis, *Rubenum*, vel *Rubenium*, nam *Rubenium* quoque alicubi legimus, Cupræ Montanæ Consulem fuisse existimant, unde & ejus civitatis amplitudinem, & dignitatem conjiciunt. Est enim ejus civitatis, quæ cum esset Romanis subjecta, suos tamen habuerit Duumviros cum præclaro hoc Consulum nomine, singulare quoddam ornamentum & decus, ut propterea clarissimus Norisius eximiæ raritatis inscriptionem quandam esse judicaverit, in qua aliquid de Consulibus Pisanis occurre-

currebat. Gorius vero non apertissime quidem fatetur designari hic Consulem Cuprensem Montanum, sed in eam tamen opinionem pronus est. *Cupræ*, inquit, *fit mentio in hoc lapide, ac fortassis Montanæ. Quum enim in vetustis lapidibus Maritima nominatur, ad discrimen notandum, additur* CVPRA. MAR. Magnum erit momentum in hac viri Clarissimi ratione, si plures reperiantur antiquæ inscriptiones ad Cupram Maritimam pertinentes, in quibus sit CVPRA. MAR. Ego unam vidi apud laudatum Paciaudum a Grutero acceptam, ac nullam præterea vel Paciaudus ipse affert in suis Cupræ, seu Ripæ Transonæ monumentis, quibus colligendis, & illustrandis non indiligentem navavit operam. Eandem vidi apud laudatum Academicum Cortonensem. Sed nostra quoque Massatiensis inscriptio eruditissimi Gorii conjecturam infirmat: Pueri enim & Puellæ Alimentarii, in nostra hac inscriptione memorati, non Cuprenses modo, sed Cuprenses Montani dicuntur. Quod si conjecturis indulgere liceat, Cupram Maritimam potius crediderim scribi, & nominari Cupram ut plurimum consuevisse absque alia nota, & discrimine, ut supra etiam monuimus, cum de agro Cuprensi, qui a Frontino memoratur, sermo incidisset. Quod si ex me quæras, humanissime Garatone, quod meum judicium sit de hoc Cuprensi Consule, vero propius videri mihi dixerim, eum, si unquam fuit, Cupræ Maritimæ adjudicandum esse, idque duabus potissimum de causis. Primum enim Cupram Maritimam longe nobilissimam, & amplissimam civitatem præ Cupra Montana fuisse existimo; idque ex Templo

Deæ

Deæ Cupræ apud antiquos celeberrimo, & ex creberrimis splendidæ antiquitatis monumentis conjicere licet, quæ passim observantur, & effodiuntur in dies ad Ripam Transonam, hoc est in iis locis, ubi Cupram Maritimam fuisse compertum est: ex quibus partem non minimam videre licet apud P. Paciaudum, & quem non semel nominavimus Academicum Cortonensem. Accedit quod Consul iste Cuprensis, cum ex Atina civitate esset, Minturnensium, & Formianorum Curator, commodius apud Cuprenses Maritimos, quam apud Montanos Consul cooptari potuit, ob earum civitatum immodicam a Cuprensibus Montanis, multo vero minorem a Cuprensibus Maritimis distantiam.

XXXII.

QUi fuerint agri Cuprensis Montani fines difficile dictu est, si eam partem excipias, quæ Æsi flumine alluitur. Cum enim eo flumine ager Picenus olim ab Umbria, tum ab agro Gallico divideretur, ager Cuprensis Montanus ultra eum terminum excurrere non poterat. Est fluvius alius perexiguus, rivum potius dixeris, ex Apennino non longo admodum cursu in Æsim influens, paulo supra Castrum Podii Cupræ, quem Asinantem dicunt. Is nunc agrum Masfatiensem a Fabrianensi dividit, sed eum tamen non existimo Agri Cuprensis Montani terminum fuisse, cum vix passus mille supra Masfatium, adeoque supra Cupram Montanam defluat, nec verosimile sit civitatis, satis amplæ & illustris, fines non multo latius patuisse. Magnam itaque ejus montis partem, quæ Æsi & Asi-

Asinante clauditur, & ad Apennini radices propius accedit, ubi Rotorsium (*a*), olim Scaligeræ, nunc Stellutiæ gentis, apud Fabrianenses clarissimæ, Castellum est, & Procicchiarum (*b*) etiam, & Domi (*c*) Fabrianensium seu Castella, seu vici, olim Cuprensium Montanorum fuisse crediderim: quorum fines iidem, ac Piceni ex ea parte fuerint: siquidem Plinianæ descriptioni standum sit (*d*). Ut enim Æsi flumine ad Occidentem, sic Apennini jugis ad meridiem terminatum fuisse agrum Picenum Plinius indicare videtur: atque is fortasse erat Piceni terminus ex ea parte, cum Plinius scribebat, quem non ignoro aliis temporibus mutari potuisse. Tuficanos certe, quorum ager magna ex parte nunc ad Fabrianenses pertinet, quique proxime occurrebant supra Cuprenses Montanos, Picentibus non adjungit Plinius, sed in Umbros rejicit.

XXXIII.

Itaque Æsi flumine, tum Apennini jugis continebatur Ager Cuprensis Montanus; & ab Æsi flumine primo Tuficanos conterminos habuisse videtur, tum Mathilicates, ni mavis Septempedanos, vel potius utrosque, deinde Cingulanos, denique Auximates, & Anconitanos, nisi qua civitas Auximates inter & Cingulanos, rursumque inter Anconitanos & Cu-

(a) *Rotorsio*.
(b) *Le Procicchie*.
(c) *Duomo*.
(d) *Hist. Nat. Lib. 3. loc. cit.*

Cuprenses Montanos fuisse dicenda sit. Tantum enim agri Cupram inter Montanam, & Anconam, itemque Cingulum inter & Auximum jacet, ut unam, & fortasse alteram civitatem percommode capere potuisset. Id autem eo verosimilius mihi videtur quod, cum Æsi flumine ager Picenus a Gallico divideretur, ut Cuprensium nostrorum fines ultra Æsim non porrigebantur, ita nec Æsinorum citra id flumen prolatos esse crediderim. Quare totus iste tractus agri Piceni, qui Æsi flumine alluitur, cujusque partem majorem Æsini nunc obtinent, aliis olim civitatibus attributum fuisse necesse est. Itaque montuosa hæc regio peramœna, quæ circa Massatium jacet, Cuprenses Montanos habitatores olim habuit, in qua vici & oppidula plura, ut nullibi fortasse frequentiora, videre licet. In quibus etsi pauca occurrant antiquitatis vestigia, credibile tamen est ea quoque priscis Cuprensibus originem debere. In his sunt ad Æsim Castrum Podii Cupræ, & Siscianum (*a*), olim, ut fama est, Æsianum dictum, nunc exiguus vicus, & aliquanto illustrius Majolati Castrum (*b*), & Montis Roberti (*c*), & Castrum Ghibellinum [*d*], quæ totidem monticulis insident secus flumen Æsim, ac aliquanto minus quam passibus mille inter se distant. Succedit Rubelliani locus [*e*], tum Divi Pauli vicus [*f*], ac Sta-

(a) *Sisciano*.
(b) *Majolati*.
(c) *Monteruberto*.
(d) *Castelbellino*.
(e) *Rovegliano*.
(f) *S. Paolo*.

Staphylanos etiam, tum Piranos, qui ad Apenninum magis accedunt, ad Cuprenses nostros spectasse pronum dictu est; Staphylum [*a*] enim & Pirum [*b*] oppida tribus ad summum quatuor passuum millibus Massatio absunt. Succedit tractus ille montanus, paulo asperior supra Asinantem ubi Rotorsium est, & quos diximus Fabrianensium vici Domum, & Procicchiæ. Atque hæc loca cum ad Cuprenses Montanos pertinuisse dicimus, non usque adeo deliramus, ut certo ejus civitatis fines assecutos nos esse credamus, sed cum ex his locis nullus sit qui Massatio plus fere quam quatuor passuum millibus absit, nemini videri potest immodica hæc Agri Cuprensis Montani comprehensio.

XXXIV.


QUod ante suspicatus eram civitatem aliquam olim fuisse Cingulanos inter & Auximates, mihi verosimilius fit, ex eo quod ad Divi Victoris in Arcione, qui locus est in Cingulanorum finibus Auximum versus, clara quædam antiqui oppidi indicia ad Musionem amnem mihi deprehendisse visus sum. Eo cum venissemus ego, & humanissimus Raphaellius, præter alia sane conspicua veterum ædificiorum vestigia, duas inscriptiones antiquas observavimus, alteram in ipsa fronte templi Divi Victoris, quæ Abbatia est Eminentissimo Cardinali Gentilio commendata, alteram vero aliquanto

(a) *Lo Staffolo.*
(b) *L'Apiro.*

to ultra eum locum in fundo Tavignano. Primam a nemine obſervatam reor: alteram ab aliis non uno modo exſcriptam eſſe conſtabat. Utramque adhuc, ut opinor, ineditam, hic proferre juvat amiciſſimo Raphaellio permittente, quo cum in animo eſt primo quoque tempore eodem accedere, & diligentius ejus loci antiquitates ſcrutari, & deſcribere:

INNOCEN...
QVI VIXIT
M X D X ✱ III
PTB ℬ IND ℬ III.

Habes inſcriptionem chriſtianam, quæ eſt ad Divi Victoris. Habeto nunc alteram, quæ eſt in fundo Tavignano Ver-



Versu I. quinta & sexta litera non parum extritæ sunt. Qui ante nos hanc inscriptionem legerunt, ut ex variis exemplis quæ apud Illustrissimum Compagnonum vidi, COLLICIO, vel COLLECIO DEO maluerunt, quam COLLEGIO DEOR. uti mihi videtur legendum, eo quod post extremam literam O satis amplum spatium in marmore erat, antequam esset corruptum, ad unam præterea literam capiendam, scilicet R.. Si quid aliunde subodorari licuisset de *Deo* quopiam *Collicio*, vel *Collecio*, ea lectio sollicitanda non fuerat. Sed quis iste Deus ante hanc diem non auditus? Num Deus aliquis antiquorum Picentum? Ut de aliis populis, bene multis, manifestum est, sic & Picentibus peculiare aliquod, & quasi gentilitium & patrium numen esse poterat. Est apud eundem Auximanorum Antistitem simulacrum Deæ cujuspiam, & caput item alterius statuæ Deam eandem exhibentis ex marmore, quæ reperta sunt in fundo Auximanæ Ecclesiæ Montetortio, ubi & alia sunt antiquitatis vestigia. Quam Deam ea simulacra exhibeant nec ipse eruditissimus Antistes definire audet, nec quispiam fortasse facile definiet; nihil enim commune habere videntur cum usitatis Deorum imaginibus, quæ passim observantur, nisi quid fortasse in cultu capitis sit, quale in quibusdam Ægyptiacis signis occurrere solet. Simili forma imaginem, cum eodem ornatu capitis, observavi nuper in manubrio antiqui vasis æneï, quod est Auximi in Museo Leopardo, nec dubito quin iisdem locis repertum sit. Porro Tavignani locus vix passibus bis mille a Montetortio abest, ut si quis *Col-*

abesse multo plus, ut scio nuper intellexi.

licium, vel *Collecium Deum* in allata inscriptione tueri velit, habeat fortasse aliquid in antiquis illis imaginibus, quod in rem suam facere possit. Ego dum quid certius afferatur legere malim COLLEGIO DEOR*um*, sextam enim literam primi versus, licet admodum extritam, potius G, quam C esse dixerim. Tertio autem versu legerim P. TVSIDIVS., est enim gens Tusidia in Picentibus nota ex antiquis inscriptionibus (*a*). Sed hæc fortasse alias diligentius expendenda erunt.

XXXV.

Est locus in Massatiensium finibus, ad Divæ Luciæ appellant, ubi pervetus castrum fuisse & consentiens hominum fama, & conspicua castrensium murorum vestigia declarant. Accola dictum est id castrum, nomenque adhuc loco hæret, qui nunc est in Massatiensium finibus. Olim suos habuit Dominos *de Accola*, vel *Accolæ Comites* dictos, qui una & Fellonicam obtinebant, vicum nunc plane dirutum, & Accolæ vicinum Æsium versus. Ad annum 1251. *Corradutius fil. D. Rogerii Thomæ Arlocti*, Accolæ & Fellonicæ Dominus societatem cum Æsinis iniit conditionibus multis ultro citroque, eaque imprimis, ut Corradutius in civitate Æsio domum haberet, ubi tres saltem menses in anno tegeret (*b*). Fuit is ultimus Accolæ Dominus, ejusque testamentum in Archivo secretio-

(a) *Grut.* 13. 686.
(b) *Ex tab. Archiv. Æsin. lib.* [illegible] *I. pag.* 126.

tiore Æsinorum vidimus confectum anno 1275. Corradutio e vivis abeunte, Accolæ & Fellonicæ incolæ, cum libertatem, quam erant adepti, tueri posse diffiderent, propter vicinorum potentiam, Staphylanis sese dedidere ad ann. 1286. (*a*) Sed tamen initio sæculi XV. Simonettus, & Brunorius ex gente Simonetta, quæ gens late his locis per eos dies dominabatur, civitatem Æsinam cum Arce Accolæ obtinebant, Vicarii S. Sedis pro more temporum appellati (*b*). Verum Simonettis anno 1408. in ordinem redactis (*c*), Accolæ arx ad Staphylanos rediit, qui in ea præfectum cum modica militum manu præsidii loco habere consueverunt ad annum usque 1447., quo anno a Piceni legato Dominico Card. Firmano iis permissum est ut Accolæ arcem & sibi inutilem, & vicinis locis propter militum latrocinia, qui in ea essent præsidii causa, maxime perniciosam, subruere, & funditus delere liceret (*d*). Arce Accola sublata egerunt Staphylani apud R. Pontificem, ut Accolæ solum, & agrum adiacentem emere sibi liceret. Egerunt & Æsini majore studio, atque ab his negotium confectum est, pactis a communitate Æsina nummis aureis Venetis bis mille quadringentis pro Accolæ area, & agro adjacenti, aliisque nonnullorum proscriptorum bonis in agro Æsino, quæ jam publicata fuerant. Hoc pacto Accolæ fundus ad Æsinos accessit ad annum 1452., ut ex monumentis a viro erudito

(a) *Vid. Append. n. I.*
(b) *Ex tab. in Arch. secr. Æsin. ad ann.* 1404. *confectis.*
(c) *Baldassin. Hist. Æsin. ad eum ann.*
(d) *Vid. Append. num. II.*

Ludovico Antonio Franciolino JCto, & patritio Æsino in magna causa *Æsina Collectarum* productis, & illustratis. Tandem Accolæ locus, qui communi nomine ab Æsinis coemptus fuerat, a Massatiensibus privatim emptus est ad an. 1521. 1529. ec. [*a*] Piri quoque oppidum, quod nunc est, quamquam perantiquum est, ex antiquioris tamen seu vici, seu castri aut oppidi reliquiis emersisse opinatur, vir eruditus Octavius Turcius, Canonicus Piranus, qui antiqui ejus loci vestigia deprehendisse se affirmat aliquanto supra eum locum, ubi nunc Piri oppidum est. Ab eo Historiam Piranam expectamus. Ad Divi quoque Pauli vicum antiquorum ædificiorum vestigia non rara identidem deteguntur, uti & in Majolati vicinia. Apud Montem Robertum in pariete majoris Ecclesiæ lapis est L. Plotio Crustæ ex tribu Velina positus ejusmodi:

L. PLOTIVS
L. F. VEL..
CRVSTA.

XXXVI.

SEd nullibi clariora apparent antiquitatis indicia, quam apud Rubelliani [*b*] locum, cujus vel nomen ipsum nescio quid eximiæ antiquitatis sonat; videtur enim ex Rubellia gente ductum, uti Pompejanum, Lucullanum, & cetera hujusmodi nomina ex gentilitiis familiarum nominibus confecta, ac villis, & fun-

(a) *Ex Tab. Archiv. Massat.*
(b) *Rovegliano.*

fundis earum familiarum imposita. Est ibi suburbanum non inamœnum gentis Corradæ, quæ ex primis est apud Massatienses antiquis parietinis superstructum, ac totus ille fundus veterum ædificiorum reliquiis refertus est. Rubelliani locum Monasterio S. Eutitii in *Campoli* donatum fuisse ab Ageltrude Augusta ad annum 907. legimus in antiquis tabulis a Baldassino primum in Historia Æsina, tum a Cl. Muratorio relatis [*a*]. *Oratorii* Divi Petri, quod in iis tabulis memoratur, omnis memoria excidit, sed collis est Rubelliano proximus, cui ex Divo Petro nomen hæsit, ibique ædiculam illam fuisse oportet. Est etiam prope Rubellianum prædives Abbatia S. Apollinaris, quam Priores Ecclesiæ Æsinæ obtinent beneficio Pauli III. Rom. Pontificis [*b*]. Ac Monasterium quidem magna ex parte disiectum est, sed templum integerrimum superest, ac religiosissime curatur ab amplissimo viro Scipione Guilielmio Priore Ecclesiæ Æsinæ, qui nihil non egit, ut aliquid de ejus Monasterii origine, ceterisque ad ejus historiam pertinentibus cognoscere posset. Quid consecutus sit explicabimus alias in dissertatione, quam, ut ante diximus, *de Æsi fluvio & locis adiacentibus* in lucem edere meditamur; erit enim is aptior de his agendi locus. Sed ad Cuprenses Montanos redeamus.

XXXVII.

QUod civitatibus multis, quæ sub Romanis maxime floruerant, propter barbarorum incursiones

(a) *Antiquit. med. av. T. 5. p. 511.*
(b) *Apud Ughel. in Ep. Æsin.*

nes accidisse compertum est, idem & Cupræ Montanæ accidit, quæ ita desolata est, ut ne de ejus quidem loco ante hoc tempus constiterit. Eo factum est ut majorem ejus agri partem, qui Cuprensium Montanorum fuerat, vicinæ civitates occupaverint, quæ vel deletæ non fuerunt, vel paulo post restitutæ. Ad Annum CMVII. Rubelliani locus, qui profecto Cuprensium Montanorum fuerat, ad Æsinos spectabat, ut ex tabulis supra laudatis [*a*]. Ceterum extremas ejus civitatis reliquias in hunc locum confluxisse, atque hoc Massatiense Castrum condidisse si quis negarit, is oportet uno tempore civitatem non exiguam ita sublatam esse fateatur, ut quidquid erat ejus populi simul extinctum, ac deletum sit, quod esse nullo modo potest. Abstineam ab exemplis remotarum: de vicinis dicam. Ex Ostræ reliquiis consentiens fama est Montis Boddii oppidum emersisse, non secus ac ex Ricinæ maceriis Maceratam Piceni factam, uti nomen ipsum sonat. Ita ex Sentino Saxoferratum, ex Septempeda, quod nunc est S. Severini oppidum, ex Treja Monteclum natum esse constat: & ea quidem ratione, ut earum civitatum vel ab hostibus dirutarum, vel naturali quasi fato senescentium, & ad interitum properantium habitatores, altiora loca, quæ essent iis civitatibus vicina, peterent, ut ibi facilius hostium injurias, & bellorum incommoda caverent. Id similiter a Cuprensibus Montanis factum est. Erat enim aptissimus hic locus editus ac præcelsus ad sedem tutissimam ejus populi reliquiis præstandam. Neque vero dubitandum

(a) *Vid. Append. n.* III.


dum eſt quin initio ſtatim novum hoc oppidulum diligenter muniverint, quod poſterioribus ſæculis & muro firmiſſimo cum turribus per intervalla diſpoſitis, & præalta foſſa ſeptum fuiſſe conſtat: & poſtquam in civitatem Æſinam eſt receptum, ſemper munitiſſimæ arcis loco eſt habitum, in eoque, quamdiu armorum uſus in his regionibus Pontificiæ ditionis viguit, aliquem militum numerum præſidii cauſa Æſini (*a*) habuerunt. Sed præter caſtrum ipſum & natura loci, & arte munitum, locus erat intra ejus ſeptum munitior, vulgo *il Caſſaro*, cujus hodiedum nomen ſupereſt, ac nihil præterea. Eſt aliud, quo moveor, ut Maſſatium deficienti Cupræ Montanæ ſuccreviſſe judicem, cultus nimirum atque religio Maſſatienſium erga Divum Eleutherium, quem præcipui patroni loco habent. Sed ei tamen intra Maſſatium oppidum nec Ædem ullam, imo ne Aram quidem antiquitus dicatam fuiſſe comperimus. Una eſt ei Divo ſacra Ædes antiquiſſima ad eum locum, ubi Cupram Montanam fuiſſe demonſtravimus, quæ Plebis nomen adhuc retinet. Id autem argumento eſt Divi Eleutheri religionem in Maſſatium oppidum cum populi Cuprenſis Montani reliquiis commigraſſe.

XXXVIII.

SEd quandonam Maſſatii fundamenta jacta ſint, ſi quis quærere inſtituat, is oleum, & operam perdet. Ego Maſſatii mentionem ante Pontificatum Inno-

(a) *Ex Lib. Reformat. Æſii ad ann.* 1425. 1427. *&c.*

Innocentii III. non reperio. Per eos enim dies adjuncta esse Ordini nostro oppidi Massatii Cœnobia cum Palatio, Castrum Siscianum ex dimidia parte, & Castri item Saxonis (*a*) quartam partem, aliaque haud ignobilia Sacerdotia, & fundos in his locis amplissimos, idque ratum habitum esse per Innocentium III. uno & altero diplomate, ex Augustino Fortunio accipimus (*b*). Ad annum MCCXLIV. Massatienses suum habebant Consulem, a quo regerentur; ex quo apparet, ni fallor, tunc eos nondum ad Æsinos accessisse. Abbas S. Helenæ Benedictus eo anno Massatienses consulari nomine, & potestate regebat, quæ res multum est iis honorifica [*c*]. Consulum vero Massatiensium monumentum aliud observavimus non ita pridem in antiquo lapide, quem hic deteximus in Ædibus Antonii M. Bartholini, cum hac inscriptione:



Aliquis

(a) Il Sasso, *ubi hodiedum Abbatia S. Helenæ multa possidet.*

(b) *Circa ea tempora accesserant Sacræ Eremo in agro Piceno Cœnobia oppidi Massatii cum Palatio, medietas Castelli Sisciani, quarta pars castelli Saxonis. Palatium in urbe Æsina cum suis plateis. Villa nova: Pantanus in planicie Bosorii, (forte Rosorii,* Rosora *) & Sisciani: Canonica S. Angeli de pinis: Villa Serre Madii de Urso: Plebs S. Eleutherii munificentissimis donationibus cum omni jure & proprietate. Quibus omnibus Innocentius III. Pap. in generali Privilegiorum, ac libertatis Ordinis confirmatione Apostolicam auctoritatem interposuit. Dat. Romæ 4. no. Majas Indict. I. Et rursus 13. cal. April. anno II.* Histor. Camald. l. 2. c. 23.

(c) *Vid. Append. n. IV.*

Aliquis fortaſſe dubitare poſſet, num qui in hoc lapide occurrunt Cavalerius, & Traſmundus Conſules Maſſatienſes ne an Æſini fuerint; ſed cum Maſſatienſes conſtet per eos dies ſuos habuiſſe Conſules, ut ex allato Benedicti Abbatis S. Helenæ, & Conſulis Maſſatienſis monumento; non video cur Æſinos Conſules huc advocare oporteat. Conſules autem multo ante illud tempus paſſim inſtitutos fuiſſe conſtat in Italiæ Civitatibus, poſtquam ſeſe in libertatem vindicare, vel ſaltem ſuis legibus vivere, ſuoſque ſibi magiſtratus creare cœperant. Ac aliis quidem civitatibus Conſulem unum, aliis autem duos, aliis vero etiam plures præfuiſſe a Cl. Muratorio animadverſum eſt (*a*). Quamquam non claras modo civitates, ſed minora etiam oppida & caſtra hoc magiſtratuum genus habuiſſe vel ex hoc Maſſatienſium exemplo intelligimus. Apud Fabrianum quoque, Caſtrum per eos jam tum dies non obſcurum, duo conſules erant exeunte ſæculo XII., ut conſtat ex tabulis quas infra damus (*b*).

XXXIX.

SUnt in Archivo ſecretiore Cingulanorum teſtimonia a juratis teſtibus in judicio dicta, & in tabulas relata ad annum 1277. de juribus, & bonis Abbatiæ S. Victoris in Arcione in Agro Cingulano, in quibus, ubi quorundam prædiorum fines aſſignantur, memoratur *via, quæ vadit ad Maſſatium,* *ſive*

(a) *Murator Diſſert. med. ævi.*
(b) *Vid. Append. n. V.*

sive Pretolonem, ut scripsit nuper ad me humanissimus Raphaellius, ex quo Massatii quod etymon sit, idem vir eruditus intelligi posse existimat. Ad eum enim modum quo Maceratæ Piceni urbi clarissimæ ex maceriis Ricinæ nomen factum esse dicunt, quod de Macerata quoque Montis Feretri civitate confirmant, quam ex Pitini maceriis coaluisse ferunt; ita ex Cupræ Montanæ parietinis, & incondito lapidum & maceriarum cumulo, quem ex ea civitate diruta superfuisse oportet, *Pretoloni*, seu *Pretolonis* nomen conflari potuisse existimat, quod tandem in cognatum Massatii nomen defluxerit. Nostrates ejus vim vocis intelligunt, nec ab ea multum aliena est Massatii nominis vis & significatio, quæ priore illa obsolescente, deinceps ei loco hæsit.

X L.

QUæ Massatii castri fortuna fuerit superioribus sæculis, quibus dominis paruerit, quæ prospera tulerit aut adversa, neque dicere possem etiam si vellem, deficientibus antiquis monumentis, neque id propositum est mihi ut dicam, qui non Historiam Massatiensem scribere aggressus sum, sed pauca hinc & inde carptim delibare, non satis nota, atque animadversa ab aliis, quæ ad te scriberem, amicissime Garatone, ut petitioni tuæ facerem satis. Quod si quæras quo loco nunc res Masſatiensium sit, dicam paucis florere illam Æsinæ civitati copulatam & conjunctam. Sic enim Æsina civitas Masſatii, aliorumque oppidulorum Agri Æsini, quæ sunt numero quindecim, habitatoribus

ribus communicata est, ut non voce tantum, ut alibi fere fit, sed reipsa unum corpus civitatis ex urbanis & oppidanis, ac vicanis istis coalescat. Nam & ejus pecuniæ, quæ publica est conjunctim ratio habetur (*a*), & pari numero ex urbe, atque ex his oppidis & vicis deliguntur, qui Magistratum in ipsa urbe gerant. Sed tamen qui primum dignitatis locum obtinet, Confalonerium appellant, is ex urbanis patriciis est, non quidem jure, aut lege aliqua, sed usu potius & consuetudine. Sequuntur Priores quinque, ex quibus duo ex urbe, reliqui ex agro esse debent; sed eadem omnium insignia, idem honor, quin & mensam communiter in Palatio Æsino habent [*b*]: ex quo apparet non mœnibus urbanis civitatem Æsinam contineri, sed æquissimo jure sparsam esse in castris, & oppidis totius agri Æsini. Ex his Massatium cum primis illustre habetur, quod ad tria mortalium millia alit in oppido ipso, & agro adjacenti, & familias habet honestissimas, cum patriciis vicinarum civitatum familiis non amicitia solum, sed affinitate etiam conjunctissimas.

XLI.

INtra oppidum unicum est monachorum cœnobium, quod nos obtinemus. A Divo Laurentio

(a) *Vetus querela est Comitatensium, sic enim appellant, contra Urbanos, quod istos dicant quoad hanc rem multa innovasse contra mores & statuta majorum; qua de re gravissimum judicium Romæ his ipsis diebus est exercendum.*

(b) *Statut. Æsin. l.* 1. *rubr.* 17. 18. & 39.

tio nomen habet. Medio sæculo superiore [*a*] erectum fuit. Ejus tamen initia multo altius repetenda sunt. Hæc enim Ædes Divo Laurentio sacra antiquissima est, ejusque curator Ordinis nostri monachus Præpositus Castri Massatii in antiquis monumentis appellatur. Abstineo nunc jura, dignitatemque nostræ hujus Ecclesiæ persequi, quæ antequam Plebanus Divi Eleutherii intra oppidum ad Divi Leonardi se reciperet, princeps ac potissima apud Massatienses erat; sed abstineo, inquam, ne litium semina serere videar, quarum ampla seges hinc aliquando est orta. Aucta est hoc anno familia hujus Monasterii duobus Lectoribus, qui publice Rhetoricen, Philosophiam, ac Moralem Theologiam doceant. Ad Divi Leonardi, præter Archipresbyterum, olim Plebanum dictum, haud exiguus est Sacerdotum numerus, qui Canonicorum instar sacra ibi decenter, ac religiose persolvunt. Est præterea intra oppidum ipsum Monasterium Monialium & religione & amplitudine maxime conspicuum. De quo, quoniam nihil impedit quominus libere dicam quæ sentio, juvat nonnulla in medium proferre, quæ ad hanc usque diem in tenebris jacuerunt.

XLII.

ERant olim apud Massatienses duo sacrarum virginum cœnobia, alterum ad Divæ Catharinæ & Margaritæ extra castrum, alterum intra, quod a Diva Martha & Magdalena nomen habebat. Utra-

(a) *Ad ann.* 1657.

Utraque adhuc Ecclesia superest, prima quidem integra & incorrupta, quam Divæ Catharinæ dicunt, altera vero, quæ Divæ Magdalenæ vulgo dicebatur, jamdiu exaugurata, & profanis usibus addicta. Sed ad Divæ Magdalenæ anno 1366. Moniales prorsus esse desierant, quod quæ ibi erant loco cessissent, sive quod omnis ejus loci familia paulatim defecisset. Eo factum est, ut quæ ad Divæ Catharinæ erant intra castrum recipi, & in vacuam earum sedem subire optaverint; propterea quod, cum extra castrum essent temporibus longe corruptissimis, cum omnia armis plena erant, earum domicilium militari licentiæ & perditorum hominum injuriis patebat; a quibus, ut sibi caverent religiosæ virgines, sæpe numero cogebantur e suis ædibus egredi, & perfugium sibi apud Massatienses intra castrum quærere: quod quamquam propter necessitatem honeste fieri videbatur, periculo tamen omnino non carebat, eratque contra rationem religionemque instituti ejus, quo erant adstrictæ. Anno itaque, quem diximus 1367., a Canonicis Regularibus Basilicæ Lateranensis, quorum jus summum erat in utrumque Monasterium, Monialibus, quæ ad Divæ Catharinæ erant, commigrandi copia facta est intra castrum Massatium ad Divæ Magdalenæ iis legibus, iisque conditionibus, quæ in diplomate hac de re edito continentur (*a*), eaque potissimum ut deinceps, quamquam unicum futurum erat Monasterium, utriusque tamen conjunctim appellatio servaretur, diceretur que imposterum SS. Catha-
rinæ

(a) *Vid. Append. n. VI.*

rinæ & Margaritæ, Marthæ & Magdalenæ. Sed unum tamen ex his nominibus apud vulgus obtinuit, atque ad hanc usque diem non aliam, quam ex Diva Catharina, appellationem habuit.

XLIII.

SEd novam hanc sedem non admodum diu Moniales istæ tenuerunt. Ad annum enim 1448. annis nimirum octoginta duobus, postquam intra castrum Massatium admissæ fuerant, apud Septempedanos novum sibi domicilium comparaverant, duabus exceptis, quæ reliquarum consilium improbantes alio se abduci non siverant [*a*]. Eo enim anno Procurator Canonicorum Lateranensium Gaspar Bononiensis Stephano Antonii Plebano SS. Clementis & Benedicti, aliisque una piis hominibus potestatem fecit construendi Ecclesiam Divæ Catharinæ in oppido S. Severini in ea regione, quæ ex Divo Francisco nomen habet [*b*], prope domum a Monialibus Divæ Catharinæ ex castro Massatio habitatam: qua nimirum Ecclesia Moniales egebant ad munia religionis obeunda, quamque Divæ Catharinæ potissimum dicatam voluerunt, ne pristinam collegii sui patronam una cum domicilio deserere viderentur [*c*]. Ex eo apparet vel eo ipso anno, vel paulo ante Massatium ab iis Monialibus esse relictum, ut sese apud Sanctoseverinates reciperent; neque

(a) Domna Guidolina, & Domna Francisca. *Ex tabulis Archiv. S. Catharinæ Massatii.*

(b) In Quarterio S. Francisci. *Ibid.*

(c) Actum in dicta Terra S. Severini A. 1448. *Ibid.*

neque enim credibile est potuisse illas admodum diu carere Æde sacra, in qua divina officia persolverent. Ceterum quæ causa eas impulerit ad hoc consilium capiendum compertum non habeo: eandem tamen puto quæ intra castrum Massatium adegerat, bellorum tumultus & incendia; per eos enim dies, ut cum maxime, Picenum bello & seditionibus conflagrabat, & Massatium ipsum non semel obsessum captumque est.

XLIV.

ANno 1477. Sanctoseverinates Virgines nostræ ex Massatiensibus factæ, cum inopia rei familiaris premerentur, a Lateranensibus postularunt, ut quæ res, quæque bona Monasteriorum SS. Catharinæ, & Magdalenæ ex castro Massatio pene jam dirutorum fuerant, suo Sanctoseverinati Monasterio adjudicarentur. Egit id Romæ cum Canonicis Lateranensibus Liberatus Bartellius vir clarus Sanctoseverinatium apud Sedem Apostolicam Orator [a]; cumque Lateranenses annuissent [b], ejus rei perficiendæ negotium mandatum est Stephano

F Anto-

(a) Per eximium Decret. Doctorem D Liberatum de Bartellis de S. Severino Reverendissimi D D. Cardinalis Mediolanensis Auditorem & Capellanum, & Terræ S. Severini Oratorem. *Ex Diplom. Canonic. Lateran. in eodem Archiv. S. Catharinæ Massat.*

(b) Cum auctoritate, & consensu Reverendissimi in Christo P. D. Mariani Dei & Ap. Sedis Gratia Episcopi Glandaten. Reverendissimi in Christo P. D. D. Latini tituli SS. Joannis & Pauli S. R. E. Card. de Ursinis Sacrosanctæ Basilicæ Lateranen. Archipresbyteri, Vicarii Generalis. *Ibid.*

Antonii Ecclesiæ Sanctoseverinatis Priori, ea imprimis conditione adjecta, ut duabus Monialibus, quas apud Massatium mansisse diximus, alimenta suppeditarent, quoad viverent [a]. Sed quantum hæc Lateranensium deliberatio valuerit, haud satis intelligo. Anno enim 1502. a Lateranensibus ipsis video Monasterium Massatiense SS. Catharinæ & Magdalenæ, in quo antea Abbatialis dignitas bellorum causa extincta fuerat, in Prioratum esse erectum: eo scilicet consilio, ne locum antiqua religione commendatum penitus dirui, & everti contingeret. Primus, qui Prioratum hunc obtinuerit, Benedictus Maccius fuit ex nostris Camaldulensibus, ut ex Lateranensium Diplomate intelligimus [b]. Massatienses autem vero simile est, cum iniquo animo ferrent suum illud Monasterium sublatis Monialibus ad excidium properare, ejusque redditus ac bona omnia alio esse conversa, apud Lateranenses egisse, ut aliqua ratione ei malo succurrerent, eaque de causa ejus Monasterii curatorem, Prioris nomine esse constitutum. Vivebat adhuc ad eum annum 1502. una ex duabus iis Monialibus, quas ad Divæ Catharinæ in castro Massatio, ceteris abeuntibus, mansisse diximus, mandatumque est novo Priori, ut eam honeste religioseque aleret. Verum ego primum & postremum Benedictum Maccium puto fuisse, qui Prioratum hunc obtinuerit, si quidem vel ipse obtinuit ac gessit; neque enim dubito quin Moniales nostræ ei institutioni intercesse-

(a) *Ibid.*
(b) *Append. n. VII.*

cesserint. Nullum certe nec ejus Prioris, nec cujuspiam qui in ejus locum successerit, memoria extat. Et quoniam anno 1542. Moniales nostræ, ut paulo post dicemus, R. Pontificem adierunt contra Gentilem quendam Delphinum jura ac bona Monasterii SS. Catharinæ, & Magdalenæ, quæ ad sese pertinere dicerent, injuria occupantem, ex eo, ni fallor, evincitur ejus Prioratus institutionem irritam fuisse. Sed quid, quod neque apud Sanctoseverinates perpetuum fuit istarum Monialium domicilium? Tandem enim ad primævam sedem in castro Massatio redierunt: quod quo anno, quave de causa factum sit, omnino me latet. Ad annum 1542. nondum rediisse constat, eo enim anno adhuc in oppido S. Severino degentes, Paulum III. Romanum Pontificem appellarunt contra Gentilem quendam Delphinum, qui nescio quid ex bonis Monasterii SS. Catharinæ & Magdalenæ ex castro Massatio, quæ ad se pertinerent, contra jus fasque occupaverat; cujus causæ cognitio per Pontificem Petro Vorstio commissa est [a].

XLV.

SEd quamquam de anno non constet, quo ad Massatienses redierunt; tamen dubitare non licet quin earum reditus Sæculo XVI. decurrente contigerit. Id enim apparet ex tabulis & libellis sane plurimis, in quibus domesticæ rationes describuntur, quorum ingens numerus est in earum Ar-

F 2 chi-

(a) *Ex tabulis in Archiv. S. Catharinæ.*

chivo, inde usque ad nostram ætatem; sed nihil tamen est ex quo certa epocha earum reditus constitui possit. Post illud tempus ita augeri cœpit in dies Monasterium istud, ut & opibus, & Monialium numero, & ædificiorum splendore atque amplitudine, & quod caput est opinione pietatis & religionis florentissimum evaserit. Illud autem permirum mihi videtur, quod cum primævum hujusce Monasterii institutum Benedictinum esset, idque diutissime perseveraverit etiam cum apud Sanctoseverinates translatum fuerat, ut constat ex tabulis ejus Archivi, in quibus semper est adscriptum *Ordinis S. Benedicti*, postea tamen non solum ab Benedictino instituto recesserunt Moniales istæ, sed nullus apud eas cultus erga Divum Benedictum relictus sit, atque adeo nulla prorsus primævi instituti memoria. Nunc enim Franciscana sub Regula militant, & constitutiones quasdam peculiares habent ab Alexandro Fidelio Episcopo Æsino ad annum 1698. compositas. Sed de hisce Monialibus satis multa.

XLVI.

JUvat nunc paucis dicere de iis Monasteriis, quæ sunt intra Massatiensium fines. Ex his notissima est Eremus quam Cryptarum vocant, quam incolunt Eremitæ nostri Camaldulenses Montiscoronæ. Pertinebat hic locus ad Sacram Eremum Camaldulensem, eumquæ tandem obtinuit B. Paulus Justinianus, qui prima ibi jecit suæ Montiscoronensis familiæ fundamenta [a]. Locus natura inamœnus,

(a) *Vid. Luc. Hispan. In Histor. Romualdina.*

nus, atque adeo plane inhoſpitus & deſertus eſt, in ima valle undique confragoſis rupibus circumcluſa, ſi eam partem demas quæ ad meridiem ſpectat, ſed Eremitarum tamen ædiculæ, & univerſa ædificia, quæ in ipſo ejus vallis ſinu, ubi modica agri planities æquata eſt, admodum eleganter pro Eremitarum more conſtructa ſunt; nec hortus deeſt diligentiſſime excultus, non ad commodum dumtaxat Eremitarum, ſed ad ſpeciem quoque, ut facile appareat arte & induſtria nativum loci horrorem aſperitatemque eſſe victam. Extant etiamnum antiquæ cellulæ in topho excavatæ, quas Juſtinianus, primique ejus Inſtituti ſodales incoluerunt, quaſque, & propter naturam loci, & propterea quod anguſtiſſimæ ſunt ſupra quam dici poſſit, latibula ferrarum, vel mortuorum ſepulcra potius dixeris, quam vivorum hominum habitacula. Hinc Cryptarum nomen ei loco factum.

XLVII.

PAulo ſupra Eremum hanc ſitum eſt notiſſimum Cœnobium, quod Divi Franciſci alumni incolunt, quos Reformatos vocant, vulgo *la Romita*, alias Eremitorium S. Jacobi, ſeu Prioratus de Mandriolis in antiquis monumentis appellatum. Iſtud etiam noſtrorum Camaldulenſium fuit ad annum uſque 1451.. Aliquanto ante eum annum Martinus V. [*a*] eum in locum voluerat Fratres ejus Ordinis,

(a) *Ex Lit. Apoſtolica D. Jacobo de Marca inſcriptis in Archiv. ejus Convent. Incip.* Injunctum nobis officium.

nis, quos ante dixi, inducere partim ut eis gratiam aliquam referre videretur, propter incredibiles labores, quos nonnulli ex eo Ordine susceperant, in extirpandis Fraticellianæ sectæ surculis, per Picenum late pullulantibus, partim ut commodius ejus sectæ reliquiis, quæ circa Massatium, & vicina loca consederant, plane delendis & extinguendis incumbere possent; suntque ea de re Litteræ Apostolicæ ejus Pontificis ad Fratrem Jacobum, hoc est divum Jacobum, quem vulgo de Marchia appellant, qui omnium acerrimus fuit in iis hæreticis profligandis. Sed negotium tamen confectum non est, nec Camaldulenses loco cesserunt; obnitente maxime ejus loci Priore Venantio Nicolai ex oppido Saxoferrato Monacho Camaldulensi, quem ajunt aliquandiu cum Divo Jacobo de Marchia habitasse, eique partem ædium suarum permisisse, sed negasse tamen liberam earum possessionem (*a*). Verum cum Massatiensis populus id maxime optaret, ut ejus Ordinis Fratres apud se haberet Nicolaus V. Martini successor, anno 1449. litteris ad Massatienses datis [*b*], quibus pium hoc illorum desiderium magnopere commendat, Ecclesiam Eremi de Mandriolis, & ædes adjacentes Minoritis adjudicat. Sed non propterea Prioris Venantii animus fractus est. Is iterum suum jus tueri, ac rem ducere instituit, quoad Nicolaus idem Priorem Venantium amovit, ac dignitate privavit, & ejus Ecclesiam cum ædibus, & adjacentis agri portione ad olerum feren-

(a) *Ex Monumen. Mss. ejus Cœnob.*

(b) Dilectis fil. incolis & habitatoribus nostri Castri Massatii sal. & Apostolic. benedic. piis fidelium votis, &c. Dat. Fabriani ann. 1449.

rendorum, & lignandi usum Fratribus attribuit; nulla tamen infamiæ nota Priori Venantio inusta, & reliquis bonis, quæ ad eum Prioratum pertinebant, Venantio ipsi, & Ordini nostro relictis, ut constat ex diplomate Pontificio; cujus particulas aliquot infra dabimus [*a*].

XLVIII.

FLoruerunt in eo Cœnobio viri duo sanctitate illustres, quorum corpora in Ecclesia adservantur. Utrique idem nomen Joannes, idemque, ut fama est, Franciscanum institutum. Alterum B. Joannem de Fabriano, alterum autem de Massatio appellant. Sed posteriorem hunc verosimilius judico Camaldulensem fuisse. Obiit enim ann. 1399. apud Eremum de Mandriolis in quodam specu, ubi is domicilium sibi elegerat pœnitentiæ studio adductus. Constat autem Franciscanos per illud tempus nondum in eum locum migrasse: idem suspicatus est Papebrochius, qui hujus Beati viri res gestas protulit ad diem XX. Aprilis [*b*]. Istud ipsum confirmari posse videtur ex antiqua pictura in coctili quodam laterculo, sive orbiculo, quem videre licet in claustro ejus Cœnobii, ubi Venerabilis Eremita Barbatus, & alba cuculla cum nigro capitio indutus exhibetur, stans in ipso aditu obscuri specus, atque ut intelligas suum ibi domicilium habuisse, brevi catenula constrictus vicino arboris trunco alligatur.

(a) *In Append. n. VIII.*
(b) *Acta SS. Mss. Apr. ad diem cit.*

gatur. Quæ omnia egregie quadrant in Beatum Joannem Eremitam, alba autem vestis Camaldulensem fuisse demonstrat. Pertinet etiam ad agrum Massatiensem Monasterium S. Mariæ in Serris, sive de Serra, nunc Abbatia S. Angeli nuncupatum, quod Camaldulenses nostri ab antiquissimis temporibus obtinuerunt, eratque olim ex Diœcesi Auximana, nunc qua nescio de causa ad Æsinam spectat. Ejus Cœnobii moderator Prioris nomen antiquitus gessit, tum Abbas est dictus, ut ex pluribus monumentis patet, quæ tum in Archivo secretiore Æsinorum, tum in nostro Fabrianensi ad Divi Blasii, tum denique in publico Massatiensium vidimus, in quibus tamen nihil memoratu dignum occurrit. Ejus mentio est non uno in loco apud Augustinum Fortunium (*a*). Leo X. ejus Cœnobii bona nostro S. Severii Monasterio in Urbe Perusio adjudicavit (*b*). Ecclesia tamen, & contiguæ Monachorum Ædes adhuc supersunt; ac Ecclesia quidem vetustissima structura est, & veteri more unicum Altare habet, sub quo corpus Beati Angeli Martyris, ex Ordine nostro, religiose servatur. Sanctum vulgo appellant, indeque Abbatiæ S. Angeli nomen factum est. Cum vir sanctus Fraticellianam sectam strenue insectaretur, ab iis hæreticis occisus est; qua de re gravissime reprenduntur ab Divo Jacobo de Marchia in Dialogo, quem per eos dies contra Fraticellianæ superstitionis homines conscripsit; quod quidem viri sanctissimi testimonium

(a) *Hist. Camald. l. 2. c. 42. &c.*
(b) *Ex Constit. Leonis X. inter Privileg. Camald.*

nium hic libenter afferimus ad Beati Angeli sanctitatem comprobandam, & quoniam Dialogus iste ineditus est, nonnulla ex eo excerpere juvat scitu non injucunda de ejus sectæ hominibus (*a*). Beati Angeli corpus actum aliquando est ut ad Divi Laurentii in Oppido Massatio tranferretur, quemadmodum Andreas Vallemanius Abbas ex Ordine nostro per litteras Papebrochium monuerat, qui de B. Angelo agit ad diem VIII. Maii (*b*]. Sed qua de causa id perfectum non sit, ignoro. Hunc Beatum Monachum Massatiensem fuisse tradunt ex familia Urbana, quæ paulo ante hanc memoriam extincta est: ea de re est aliquid etiam in Mabillonii schedis (*c*) a Martene editis. Mitto dicere de Monasterio nostro Camaldulensi S. Martini de Accola (*d*), de Ecclesia S. Mariæ de Alvareto (*e*), de Hospitali S. Bartholomæi (*f*), deque aliis sacris Ædibus perantiquis agri Massatiensis, ne videar, ut ajunt,

(a) *Vid. Append. n. IX.*
(b) *Acta SS. VIII. Maii.*
(c) *Veter. Script. & Monum. T. VI. pag.* 1439.
(d) *Fortun. Histor. Camald. l. 2. c. 7. &c.*
(e) *Antiquissima Ecclesia Parochialis nunc diruta, prope eum locum ubi olim Cupra Montana. Sæculo XV. unita erat Præposituræ huic nostræ S. Laurentii, ut ex tabulis pluribus publici Archivi Massat. Sæculo autem XIV. amplitudine, & populi copia reliquarum Parochiarum, quæ apud Massatienses sunt, potissima erat, ut constat ex tabulis agrariis Civitatis Æsinæ in codice membranaceo, vulgo* il Catastro Vecchio, *ante annos, ut minimum quadringentos scripto, quem nuper vidimus in Archivo secretiore Æsinorum.*
(f) *Hospitale S. Bartholi de Castro Massatii memoratum legimus in laudatis tabulis agrariis. Ibi fuisse crediderim ubi hodiedum Ecclesia est Divo Bartholomæo sacra extra Massatium.*

ajunt, laureolam ex mustaceo quærere. Et jam vereor, mi Garatone, ne te harumce nugarum tædeat; me enim video in rerum levissimarum investigatione nimium fuisse. Sed nisi te ista delectant, cavebis imposterum ne tale aliquid a me petas, in quo præstando, dum id ago, ne diligentiam meam desideres, non esse tibi molestus non possim. Vale.

Dabam iterum in Oppido Massatio Agri Æsini Kal. Sextil. M.DCC.XLVIII.



APPEN-

APPENDIX
VETERUM
MONUMENTORUM.

I.

..... ab incarnatione ejusdem millesimo ducentesimo octuagesimo sexto. Quartædecimæ Indictionis XIII. m. Julii. Pontif. D. Honorii ..... Venerab. Patris D. Federici Iporien. electi Marchiæ Anconitanæ Rectoris. Simon Mactei de Achola universitatis hominum ejusdem ..... & hominum Felonicæ Ecclesiæ Romanæ fidelium, sicut per publica instrumenta manu Bantii Notarii ibidem confecta, constat ad hoc negotium per ..... Procurator humiliter supplicavit, ut cum homines ipsi ob sui debilitatem & tenuitatem, & nobilium vicinorum potentiam inimicitias ... nequeant pacifice, nec secure morari, quatenus eis habitationem, & incolatum Castri Starfuli eligendi, & assumendi, & se suaque domicilia ad ipsum locum .... facultatem & licentiam impartire dignetur. Rainaldutius quoque Rainaldi Angeli, præfatæ universitatis, cujus Procurator est, nomine ejusdem Domino Rectori cum instantia supplicavit, ut ..... licentiam & facultatem indulgeat, offerens se ipsamque Universitatem suam paratos pro dictis hominibus salaria, & afficta Romanæ Ecclesiæ ..... dictarum Universitatum, & hominum utilitas, sine ipsius

ipsius Ecclesiæ dapno, quin potius cum ejus honore & utilitate in hoc negotio ..... jam dictas, & in iis tam Ecclesiæ prædictæ, quam Universitatum, & hominum prædictorum evidentem utilitatem ac diligenter super hoc deliberatione...... annuit postulatis. Quod prædictarum Universitatum Acholæ, & Felonicæ homines, quemadmodum petebatur, se suaque domicilia .... Castri Universitatis, eos in suos incolas, municipes, & habitatores perpetuos patron. salvo Ecclesiæ Romanæ jure & sine ipsius præjudicio....... Staffuli dictorum locorum Universitates uniantur, & unum cum ea corpus existant, ejus demque libertatibus & honoribus gaudeant &c. Quæ ad majorem ..... Dominus Rector sigilli sui duxit appensione muniri.

..... apud Montem Ulmi in palatio Communis dicti loci. &c. &c.

..... auctoritate Not. & Cameræ dicti D. Rectoris nunc scriba hiis omnibus interfui.

Ex autographo, temporum injuria corrupto, in Archiv. secr. Staphyl. Communicavit eruditus Jo. Franciscus Lancellottus Staphylanus.

Quoniam nullus posthac erit fortasse de his dicendi locus, juvat hic nonnulla addere de Accolanis, deque antiquis Accolæ Dominis. Non anno solum 1251. *fœdus ictum est inter Accolæ Dominos, & Æsinam Civitatem, quemadmodum in superiore Epistola dictum est, sed multo ante Arloctus Thomæ Comitis, & Thomas ejusdem Arlocti filius, Accolæ Domini, societatem cum Æsinis inierant ad annum* 1201. *iis conditionibus, quæ extant in publicis tabulis eadem re confectis, quasque nuper cum hæc prælo*

jam

jam committerentur, in secretiore Æsinorum Tabulario vidimus in Lib. ✠. *II. Inprimis autem Accolæ Domini Arloctus, & Thomas promiserunt* adjuvare homines dictæ Civitatis, & esse cum eis in omni guerra, quam habuerint, contra omnes eorum inimicos, & facere pro eis guerram, cum oportuerit, excepto Imperatore, ejusque ceteris nunciis, exceptis etiam Auximanis civibus, & hæredibus Gilberti. *Porro qui anno* 1251. *societatem cum Æsina Civitate iniit Corradutius* Domini Rogerii, Thomæ, Arlocti *dicitur in tabulis suo loco citatis. Ex quo apparet quinam, haud brevi sane temporis intervallo, Accolanis imperitarint; Thomam scilicet Comitem, tum Arloctum, deinde Thomam alterum, mox Rogerium, denique Corradutium, qui cum sine liberis obierit, Accolani eo imperio soluti, Staphylanis sese dediderunt, ut suo loco diximus. Sed Thomas, quem quasi hujus gentis auctorem hic habemus, Comes quidem, appellatur, at ejus successores eam honoris, & dignitatis appellationem non usurpant, quod non mirabuntur eruditi, qui ex more nostrorum temporum antiqua omnia non æstimant. Vid. Murat. Antiquit. Med. Ævi. ubi de Comit.*

II.

D. Tit. SSæ ✠ *in Jrblm presb. Card. Firmanus*] *Apostolicæ Sed. Legat.*

PRudentibus viris Prioribus & Consilio & Communi Castri Staffuli demoliendi, diruendi, & solo æquandi Rocchettam Acculæ sitam in Territorio dicti Castri tamquam inutilem, ut experien-

tia

tia sæpenumero didicit, & damnosam locis vicinis (*a*), tenore præsentium licentiam concedimus, & omnimodam facultatem. Non obstantibus in contrarium &c. Dat. in S. Severino die VII. Aug. M.CCCCXLVII.

Ex eodem Archiv. Communicavit idem Lancellottus.

III.

IN nomine Patris, &c. ab incarnatione D. N. J. C. anni Nongentesimi septimi die XI. mense Decembre per indictione decima. Actum in Camerino in ipso Monasterio de Natabene. Manifesta est me Ageltruda olim Imperatrice filia quondam Principis de Benevento relicta veste Religionis induta, quæ fuit relicta quondam bone memorie Domni Guidoni Imperatori &c. Propterea volo, judico, atque pro anima mea, & de prædicto viro, atque filio meo, id est in Monasterio S. Eutitii Confessoris, quod situm est in loco, quod dicitur Campoli, hoc est Curtem meam in Territorio Hesinata, locum qui dicitur *Rubelliano*, cum Oratorio B. Petri Apostoli & cum casis, arilis, & terris, & vineis, & omnia ad ipsa cum dicta curte pertinentes, vel subjacentes &c. adque pro anima mea dispono in ipso antedicto Monasterio, ubi modo Domnus Major Abbas esse dignoscitur cum aliis fratribus

(a) *A.* 1414. *Jo. Asponus Britinoriensis Staphylanorum Prætor capitali sententia damnavit Præfectum arcis Accolæ, & milites septem, qui ibidem præsidii causa erant, ob latrocinia, quibus circumjecta itinera infesta habebant.* Ex tab. in eodem Archiv.

tribus regulariter viventes, hoc autem tenore, ut ibi Petrus presbiter in ipsa Ecclesia B. Petri Apostoli habitum & obedientiam habeat, sicut voluerit, sicut ceteri Fratres Monaci in ejusdem Monasterium diebus vitæ suæ &c. *Extat apud Muratorium in Antiqu. Medii Ævi Tom. V. pag.* 511.

IV.

A D. MCC.XXXXIV. indictione II. D. Petrus Abbas Athalmensis in cunctis Monasteriis de Ordine Camaldulensi in Anconitana Marchia constitutus a Venerabili D. G. Priore Camaldulensi visitator & reformator ordinatus præcepit D. Benedicto S. Elenæ Abbati & suis Fratribus Monacis, & Conversis per veram obedientiam & Spiritus S. Virtutem, & sub pœna excommunicationis de veritate sibi dicenda causa visitationis tam de spiritualibus quam de temporalibus &c.

Item interrogavit si fecit vel fecit fieri sacramentum fidelitatis Imperatori vel suis nuntiis. Respondit quod Benvenutus in Valle S. Clementis pro Imperatore Vicarius constitutus venit personaliter ad Monasterium prædictum, & omnibus Fratribus congregatis ex parte Imperatoris & Regis Henrici præcepit tam Abati, quam aliis fratribus ut sibi pro Imperatore recipienti fidelitatem jurarent, & obedire, ac observare deberent mandata D. Imperatoris. Et statim dictus Benvenutus confutavit tam Abbati, quam aliis Fratribus sacramentum: affirmantes ipsi sacramentum sicut ipse Vicarius iis denunciabat. Verumtamen in fine sacramenti non

eos permisit manus super librum ponere, &c.

Item interrogatus eodem modo (*idem Abbas*) si fuit rector & consul castri Massacii anno præterito, quando homines dicti Castri ab Ecclesia erant excommunicati, & in omnibus observabant mandata Imperatoris contra libertatem Ecclesiæ. Respondit quod sic &c. *Ex Archivo S. Blasii Fabriani Casp. S. Elena.*

V.

IN nomine &c. Ann. MC. nonagesimo nono V. Id. Febr Indic. II. Domnus quidem Ioannes Ecclesiæ S. Crucis Fontis Avellanæ Prior præsentibus & volentibus dompno Joanne Præposito Ecclesiæ S. Mariæ Vallis Meragi, & Dompno Raynaldo, & Dompno Trasemundo ejusdem Ecclesiæ Monachis, dedit atque concessit imperpetuum Vizzoni & Ballono Consulibns Fabriani nomine totius universitatis castri Fabriani recipientibus omnes homines, quos, habent Ecclesia S. Crucis, & Ecclesia Vallis Meragi a Sentino usque ad castrum Fabriani nomina quorum hæc sunt &c. Actum in Ecclesia S. Venantii de Fabriano &c. Ego Fabianus notarius &c.

Ex codice membran. Archiv. secreti Fabrian. il Libro rosso *pag.* 120. Communicavit humanissimus Basilius Bartholi Fabrianensium a secretis.

VI.

CApitulum & Canonici Sacrosanctæ Lateranensis Ecclesiæ dilectis in Christo vobis Abbatisse Monialibus & Conventui Monast. Sanctarum

Ca-

Catharinæ, & Margaritæ de Burgo Caſtri Maſſatii Æxin. Dyoceſis membri dictæ Lateranenſis Eccleſiæ Salutem in Domino. Decet ex ſuperiorum pietate procedere ſubditos ac membra ipſorum per intimæ dilectionis affectionem protegere; ad quod tanto magis vires pertendere debent, quanto ex temporum corruptionibus pericula imminent graviora. Cum igitur ſæpius in Marchiæ Anconitanæ provincia nonnullæ undique collectæ gentes peſtiferæ atque nefandæ ſub quodam ſocietatum vocabulo pullulent, ipſamque provinciam magno terrore concutiant, Urbes & alia oppida prædis, incendiis ac ruinis ſubjiciant, nullo habito dignitatis ſeu religionis diſcrimine, imo ſacratiſſimas Deo dicatas virgines, ut filii Belial in Dei contemptum ad impudicos actus deducere, ac ipſas violare non metuunt. Et propterea quampluries hujus metu coactæ, prout talia pericula imminebant, veſtrum monaſterium egrediebamini, & intus Caſtrum præfatum per ſæcularium perſonarum domos, & habitacula latitantes, nefandarum gentium vires & crimina inhoneſte quodamodo vitabatis, quod vobis, nedum aliis, etſi ad majus malum fugiendum fieret, illicitum tamen ac incongruum videbatur. Quapropter nobis humiliter ſupplicaſtis quatenus Eccleſiam ſive monaſterium Sanctarum Mariæ Magdalenæ & Marthæ ſitum intus præfatum Caſtrum Maſſatii, membrum noſtræ Lateranenſis Eccleſiæ, ipſique immediate ſubjectum, vobis concedere dignaremur, ut cum talis imminet neceſſitas fugiendi, ad ipſam Eccleſiam ſive Monaſterium honeſte ac fiducialiter recurrere valeatis. Nos itaque veſtris ſupplicationi-

bus inclinati ipsasque justissimas fore putantes, tenore præsentium vobis Ecclesiam sive Monasterium Sanctarum Mariæ Magdalenæ & Marthæ situm in ipso Castro Massacii nostræ Lateranensi Ecclesiæ immediate subjectum, ac ejusdem Ecclesiæ membrum cum omnibus juribus & pertinentiis suis, vobis concedimus & donamus, atque Monasterio vestro præfato unimus, & unitum esse volumus, cum potestate in eodem vobis concessa, ædificandi & reparandi, moniales recipiendi, Abbatissam, & Sacerdotes eligendi, & alia faciendi quæ pro ejus salute de jure fieri posse licite dignoscuntur. Dummodo per vos, una libra ceræ, quæ pro censu nobis per ipsam Ecclesiam, & personas ejusdem solvi anno quolibet consuevit, per vos similiter, prout fuit hactenus solitum, persolvatis. Reservata nobis & successoribus nostris potestate de electa seu eligenda in Abbatissam, & Capellanis ibi eligendis canonice per nos confirmationem, & institutionem faciendi in tempus a jure concessum, videlicet infra XV. dies: visitationem quoque, correctionem & reformationem in dicto Monasterio seu Ecclesia, quam visitationem cum contigerit per nos vel successores nostros fieri, teneamini unum nostrum cum uno socio, seu procuratorem recipere cum duobus equis, & uno famulo per unum diem tantum, & non ultra; ac etiam salvis, & reservatis omnibus & singulis per actis & tenoribus factis habitis & firmatis inter Dominos Canonicos & Capitulum Ecclesiæ Lateranensis supradictæ ex una parte, & dictas Dominam Abbatissam, moniales, & conventum monasteriorum supradictorum, ac patronorum dicto-

dictorum Monasteriorum seu Ecclesiarum supradictorum ex alia parte. Suscipientes auctoritate qua fungimur in hac parte vigore privilegiorum dictæ nostræ Lateranensis Ecclesiæ per Summos Pontifices concessorum, dictam Ecclesiam, seu Monasterium prædictum cum omnibus membris suis, Abbatissam, Moniales, Capellanos & servitores qui pro tempore fuerint, ipsius Monasterii seu Ecclesiæ, si fuerint, possessiones, bona, & jura, quæ eis ratione legatorum concessionum & donationum, seu alio quovis modo justo titulo poterunt pertinere. Constituentes procuratores & yconomos nostros & dictæ Lateranensis Ecclesiæ Ven. viros D. Presbyterum Sanctum Eclesiæ S. Mariæ ... de Urbe præsentem & recipientem, & D. Presbyterum Silvestrum Rectorem Ecclesiæ S. Salvatoris in pesol. de dicta urbe, ac Valentem Palmarutii de dicto Castro Massatii absentes tanquam præsentes, & quemlibet ipsorum insolidum ad investiendum & ponendum vos & vestrum quamlibet vice & nomine dicti vestri Monasterii, & pro successoribus vestris in vacuam & corporalem possessionem de prædicto Monasterio seu Ecclesiâ SS. Mariæ Magdalenæ & Marthæ, & de omnibus & singulis connexis & dependentibus ab eodem. In quorum omnium testimonium & evidentiam pleniorem præsentes nostras litteras, seu præsens publicum Instrumentum fieri fecimus, & sigilli nostri Capituli juximus appensione muniri. Datum, & Actum in dicta Ecclesia Lateranensi. Sub anno a Nativitatis Domini Millesimo CCC.LX. sexto pontificatus domini Urbani PP. quinti. Indictione IV. mense Maii, die secunda & præsentibus

his testibus, scilicet: Domino Joanne Petri Bertæ, & Domino Silvestro Cardelli civibus Romanis, & beneficiatis dictæ Lateranen. Ecclesiæ Domino Presbytero Petri Thomaxii de Nagnia, & Rainaldo Putii Carelli de Monte Leonis familiaribus Domini Thomæ de Montenigro Canonici Lateranensis ad prædicta vocatis & rogatis.

Ego Bartholomæus Domini Petri Sancti B. Dei gratia Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus interfui &c.

Ex autographo apud Monial. S. Catharinæ Massatii.

VII.

CApitulum & Canonici Sacrosanctæ Lateranen. Ecclesiæ dilecto nobis in Christo Venerabili Domno Benedicto Ioannis Petri de Maccis Ordinis Camaldulensis salutem &c. Vitæ & morum integritas &c. Itaque sicut accepimus annis superioribus Monasterium SS. Catherinæ, & Magdalenæ Ordinis S. Benedicti de Burgo Maxatii Æsinæ Diocesis nobis & nostre Sacrosanctæ Lateranensi Ecclesiæ immediate subjectum, & causa bellorum Abbatiali dignitate alias inibi per nos & Capitulum nostrum suppressa, & in Monasterium Monialium S. Severini Camerinensis diocesis ac etiam nobis subjecto translata cum suis mobilibus & immobilibus pro majori parte, & in dicto Monasterio Monialium SS. Catherinæ & Magdalenæ una tantum ex dictis Monialibus superfleterint, volentes indemnitati supradicti Monasterii providere ne ob diuturnam vacationem in demolitionis periculum adveniat, prout

ut ad præsens devenit; capitulariter congregati in loco solito una cum Reverendissimo P. D. D. Juliano Episcopo Bretonorien: Reverendissimi in Christo P. & D. D. Juliani Episcopi Hostien. S.R.E. Card. S. Petri ad Vincula Majoris Pœnitentiarii nostræ Sacrosanctæ Lateranen. Ecclesiæ Archipresbyteri, Vicario Generali, dictum Monasterium, sicut præmititur in perpetuum Prioratum erigimus, &c. tibique Domno Benedicto Jo: Petri de Maccis Ordinis Camaldulensis administrationem Prioratus hujusmodi concedimus in perpetuum &c. cum omnibus dependentiis suis, cum honoribus & oneribus, videlicet in altera earum Ecclesiarum singulis diebus festivis celebrandi, & dictam unam, quæ sola ex ceteris Monialibus superstes inibi degit, quoad vixerit honeste, & religiose alendi &c. Dat. Lateran. A. D. MDII.

Ex Archivo pub. Massatien. lib. C. pag. 253.

VIII.

NIcolaus Episcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Guardiano & Fratribus Ordinis Fratrum Minorum in Territorio Massatii Æsinæ Diocæsis commorantibus salutem & Apostolicam benedictionem.

Sacræ religionis studium sub qua mundanis abdicatis illecebris tum addictione voluntariæ paupertatis virtutum Domino in humilitatis spiritu devotum impenditis famulatum, & sedula vestra in favorem fidei catholicæ merita promerentur, ut Apostolica sedes vos & vestrum Ordinem favoribus con-

foveat, & spiritualibus gratiis prosequatur, in his præsertim per quæ vestris verbo & exemplo fidelium animæ ab hæresis laqueis eripi possint, & cultus Divini numinis valeat adaugeri. Cum itaque nos nuper abominabilem sectam quorumdam malignantium hominum fratrum, seu Fraticellorum de opinione vulgariter nuncupatorum, quæ procurante factore malorum operum in Massatii Æsinæ Diœcesis, & nonnullis aliis Castris, Terris, Villis, ac locis Marchiæ nostræ Anconitanæ, proh dolor! invaluisse dicitur, de medio tollere, ac illorum fluxum pestiferum, ne virus insanabile, & perpetuum nocumentum Fidelium cordibus inferre possent, totis viribus extinguere cupientes, post nonnullos auctoritate nostra contra quosdam ex dictis pestiferis hominibus habitos processus, sperantes quod per vestram laudabilem ac religiosam vitam, & fructuosas, quas sub singulari observantia viventes, incessanter ad populos funditis prædicationes, vestro ministerio omne hæresis hujusmodi fermentum expurgabitur ..... unam domum vestri Ordinis pro vestro usu & habitatione in præfato castro Massatii, seu in ipsius Territorio in loco utique ad id habili & idoneo fundari & construi decreverimus; & sicut accepimus, si Prioratus S. Jacobi delle Mandriole Ordinis Camaldulensis in Territorio dicti castri Massatii consistens, quem dilectus Filius Venantius Nicolai de Saxoferrato ipsius Prioratus Prior obtinet, & qui cum illius Ecclesia in ruina existit, ipsam videlicet Ecclesiam cum structuris circa illam si quæ sunt, & spatium terræ seu nemoris quantitatis seminaturæ, unius sarcinæ

grani,

grani, mensuræ illarum partium pro fundatione, & constructione domus hujusmodi .... vobis concederetur; vos inibi unam domum cum Ecclesia Campanili, & aliis necessariis officinis de nonnullis bonis quorundam hæreticorum, alias per nos, seu auctoritate nostra damnatorum, vobis ad fundationem hujusmodi assignantis, ac Christi fidelium eleemosynis fundaretis ... in dicto Prioratu præfatum Ordinem Camaldulensem extinguimus, dictumque Venantium ab illo, absque tamen alicujus infamiæ nota, quoad Ecclesiam videlicet, & circa illam structuras, & spatium terræ, seu nemoris prædicta dumtaxat amovemus; vobisque assignamus &c. Dat. Romæ apud S. Petrum A. D. Inc. MCCCCLI. Prid. Non. Jul. An. V. *Ex apographo in hoc nostro Archivo ad Divi Laurentii Massat.*

IX.

D*Ialogus Divi Jacobi de Marchia inter Catholicum & hæreticum hujusmodi habet initium.* Vidi ascendere dal mare una bestia, che aveva sette capi &c. *In eo Dialogo pag.* 19. *&* 20. *hæc habentur de Fraticellis hæreticis :* Quando lo SS. nostro Papa Nicolò V. nell' anno 1449. del mese di Novembre mandò lo Venerabile Padre Frate Giovanni da Capistrano, e me Frate Jacomo della Marca, de l'Ordine de li Frati Minori, a riducere alla vera Fede li Castelli già Eretici (*a*), cioè

(a) *Cave putes usum Catholicæ religionis in his locis extinctum*

cioè lo Massaccio, Majolata, lo Pojo (*Podium Cupræ*), e lo Mergo &c. li quali castelli mediante la divina gratia sono riducti a lo gremio de la S. Chiesa, & ad unitade de la Santa Fede, abjurata omne Eresia ne le nostre mane; trovammo ne la campana del dicto Castello de Majolata lettere scolpite, che dicevano così: Anno Domini millesimo quadringentesimo decimonono, tempore Fratris Gabrielis Episcopi Philadelphiæ Ecclesiæ Pastoris Fratrum Minorum Minister Generalis. Jesus. Maria. Franciscus. Ecco lo vostro Papa.

Idem vir Sanctus pag. 21. ejus sectæ vanitatem ex eo probans quod nulla apud eos signa & miracula a Deo ostendantur, ita inquit. Nella vostra Chiesa, la quale dicete essere voi medesimi, mai ce s'è trovato esser fatto miracolo alcuno, salvo incontra de voi, in vostra detestatione, confusione: tacciamo de' tutti. Ma pure quando alcuno de voi la nostra justitia li fa bruciare, acciochè se concorde l'odore de la santità del corpo a quello dell'anima, le vostre carne, come carne molto putride, abominevolmente puzzano: siccome se vidde, e sentisse per certa experientia a Fabriano, stando lì presente Messere lo Papa Niccolò V. & essendoci bruciati lì certi Eretici, per tre dì loro intollerabile fetore occupò tutta la Cittade, intanto-

---

ctum fuisse. Confluxerant huc Fraticellianæ hæresis reliquiæ, nec dubium est quin ea contagione mortales aliqui affecti & corrupti fuerint, sed major saniorque pars eam pestem non sensit, ut cum aliis rationibus, tum vero maxime probari potest ex literis Apostolicis Nicolai V. Communi Massatiensium inscriptis, quas supra laudavimus.

tantochè ſtando io in lo Convento de S. Franceſco, de longo da lo loco, ove erano ſtati arſi per tre dì continui, me abominò quella loro intollerabile puzza. *Ac paulo poſt inquit*: voi in cento trenta anni, e più (*a*), mai non avete convertito alcun dottore, ne uomo di alcuna ſcientia, o pure alcuna perſona notabile, ſe non ſolamente alcuni villani ruſtici da Majolata, da lo Mergo, e da lo Pojo, e parte di quelli de lo Maſſaccio (*b*), e non altro ſe non alcuni ſemplici ignoranti, & alcu-

---

(a) *Furere cœpit hæc peſtis ſub initium Pontificatus Joannis XXII. auctoribus potiſſimum nonnullis pſeudominoritis. Vid. Rainaldus ad ann.* 1318. *Ex hoc auctore, aliiſque, qui de hiſce hæreticis egerunt, unuſquiſque intelligere poteſt quam longiſſime a Maſſatii finibus eam peſtem ortam eſſe, ut merito ridendi ſint qui ſecus judicant.*

(b) *Hinc etiam liquido apparet quinam ex Maſſatienſibus in Fraticelliorum errores prolapſi ſunt, ruſtici nimirum homines, rudes & ignobiles. Per eos autem dies ut cum maxime florebat Maſſatium & incolarum frequentia, & ſplendore atque opibus, multique ex ejus caſtri primoribus, qui magiſtratum tunc temporis in civitate Æſio geſſerunt, nobiles appellantur in Libris, quos Reformationum appellant. Sed hic dicere videtur vir Sanctus non alios homines a Fraticellis corruptos fuiſſe, quam ruſticos aliquot ex his locis, quod non ita intelligendum eſt quaſi non alibi maxime ea peſtis graſſata ſit. Variis enim locis jam inde ab Ludovici Bavari temporibus pullulaverat, ac radices altius egerat. Itaque ut veriſſimum ſit extremas ejus ſectæ reliquias huc tandem confluxiſſe, & ruſticos aliquot homines ex his locis corrupiſſe; illud certe perfalſum eſt de univerſa ea ſecta, quæ neque his locis exorta eſt, & multo latius pervagata eſt, quam ſit ultimus iſte Piceni receſſus; nec puto magis eſſe ignominioſum his locis quod ea contagio hucuſque pervenerit, quam glorioſum quod hic deleta, & extincta ſit.*

alcune feminuccie con vostre menzogne, e fallacie.

Denique sic Dialogum suum concludit pag. 22. Ecco la carità de la vostra Chiesa: queste sono le opere de la vostra pietade: questi sono li miracoli de la vostra santitade. Cristo in Croce con li suoi Santi chiama, perdona, perdona; e voi con li Giudei chiamate, mora, mora; occide, occide: siccome faceste del Beato Angelo dell'Ordine de li Camaldoli, lo quale perseguitava la vostra maladetta setta. La cui morte, come degno sagrificio offerto a Dio per defensione de l'immacolata fede di Cristo lo ha justamente accettato, & demostrato con evidenti segni de molti miracoli essere a Dio sommamente grato. Prego adunque lo piissimo Signore con tutto lo core, che in eterno & oltra si degni illuminarvi a conoscere la veritade, la immacolata & vera fede de Jesu Cristo benedetto in sæcula sæculorum Amen.

FINIS.

Pag. 11. *post secundam lineam hanc addito*

FILIO. DIVI. TRAIANI

Pag. 76. *lin.* 7. civitate, *leggito* oppido.

Re-

Reverendiſſimus Dñus S. Piſaurenſis Eccleſiæ Canonicus Sigonfredius videat & referat. Piſauri 23. Auguſti 1748.

J. B. Paſſerius Vic. Gen.

De mandato Reverendiſs. Domini Joannis Baptiſtæ Paſſerii Vicarii Generalis Piſauri ego Joannes Antonius Sigonfredius Sanctæ Piſaurenſis Eccleſiæ Canonicus, ac Proth. Apoſt. vidi Epiſtolam, cujus titulus *De antiqua Picentum Civitate Cupra Montana, cum Appendice Veterum Monumentorum, Alm. R. P. Mauri Sartii Monaci Camaldulenſis*, nihilque in ea fidei, principibus, ac bonis moribus adverſum inveni, quare ipſam luce dignam judicavi. In quorum, &c. Dat. Piſauri Kalendis Septembris 1748.

Attenta ſupradicta relatione imprim. quoad Nos.

J. B. Paſſerius V. G.



De

De mandato adm. R. P. M. Mazzolii Vicarii S. Offit. in Pisauri Civitate legi Epistolam cujus titulus *De antiqua Picentum Civitate Cupra Montana*, *cum Appendice Veterum Monumentorum*, *Adm. R. P. Mauri Sartii Monaci Camaldulensis*, nihilque contra fidem, bonisque moribus inveni, ideo existimo typis mandari posse, &c.

Datum in Conventu Ser. Mariæ de Pisauro die 25. Septembris 1748.

Fr. Philippus Maria Brioli Cons. Th. in Civi. Pisau.

Attenta supradicta attestatione imprimatur.

F. Hyacinthus Ant. Mazzolius Vic. S. O. Pisauri.

